
3 1761 07320165 9

ORATIONES

TVM CREWEIANAE TVM GRATVLATORIAE IN THEATRO SHELDONIANO PLERVMQVE HABITAE

AVCTORE

W. W. MERRY, D.D.

ORATORE PVBLICO

COLLEGII LINCOLNIENSIS RECTORE

OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

MCMIX

HENRY FROWDE, M.A.
PUBLISHER TO THE UNIVERSITY OF OXFORD
LONDON, EDINBURGH, NEW YORK
TORONTO AND MELBOURNE

PREFACE

THE speeches in this volume have been printed at the request of friends. But it is easy to see that they labour under a double disadvantage: first, because they cover the long period of twenty-seven years, so that the interest of the earlier ones, at least, may have lost its freshness; and, again, they cannot even pretend to give an unbroken record of matters connected with the University, as the Public Orator only delivers his speech every second year, alternately with the Professor of Poetry.

But the speeches when delivered were so kindly received that the Orator is emboldened to hope that even the duller presentation of them in print may not be unwelcome.

He would also wish to say that, as they were spoken to a mixed audience at the Encaenia, his aim has always been to make them so simple as to be generally 'understanded of the people', rather than to present them as elaborate compositions.

LINCOLN COLLEGE,
OXFORD,
Jan. 18, 1909.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXII^DO MENS. IVN. MDCCCLXXXI

ANTEQVAM, Academici, ad nota munera huius diei accedam, et sollemnem Fundatorum Benefactorumque nostrorum recordationem repetam, liceat mihi paucis verbis deplorare viri desideratissimi interitum, THOMAE FRANCISCI DALLIN[1], quem nuperrime a vobis ad Oratoris Publici officium electum

abstulit atra dies et funere mersit acerbo.[2]

Quo quidem nemo fere inter aequales propensior fuit ad omnia humanitatis studia; nemo litterarum amantior; nemo denique huius Vniversitatis observantior. Communi vero lamentationi accedit quoque amicorum et necessariorum privatus quidem et quasi domesticus dolor. Equidem, si mihi veniam conceditis, pro mea ipsius parte lugere velim hominem omni lepore et venustate adfluentem, summa animi benignitate, suavitate morum eximia; cuius vocem, Academici, in hoc ipso loco contionantis et primam audivistis, et novissimam. Nec minore luctu commemorare oportet alterum huius Academiae alumnum, his diebus immatura morte praereptum, ALVREDVM BARRATT, Collegii Aenei Nasi nuper Socium; qui in omni studio atque humanitate versatus adeo in prudentia iuris, in philosophia tractanda profecit ut omnes de se optime sperare iuberet. Neque hodie silentio praeterire velim RICARDVM LYNCH COTTON[3], neque ROBERTVM BULLOCK-MARSHAM[4]; quorum uterque in Nestoream

[1] T. F. Dallin, M.A., sometime Fellow of Queen's College. Public Orator 1877.

[2] Verg. *Aen.* vi. 429.

[3] R. L. Cotton, D.D., Provost of Worcester College 1839.

[4] R. Bullock-Marsham, D.C.L., Warden of Merton College 1826.

prope senectutem provectus tam diu tantaque cum laude Collegio suo praefuit ut nemo commendatior esse possit hominum memoriae.

Qua autem oratione quove desiderio prosequar GEORGIVM ROLLESTON,[1] Physiologiae professorem Linacerium, virum excultissimi ingenii, integritatis incorruptissimae, veritatis amicum et propugnatorem impavidum? Qui vero in rerum plurimarum strenua inquisitione et investigatione unum modo nesciebat aut sibi parcere aut quidquam 'actum credere dum quid superesset agendum'. Hodie tamen recentior quodam modo nobis est dolor quam ut caro capiti vale supremum dicamus.

Et quoniam non modo fati necessitate sed ipso temporis lapsu nihil non habeat mutationes maximas, quid, quaeso, utilius esse potest quam ut coram vobis patronorum fiat annua commemoratio? Equidem adseverarem neque consenuisse adhuc neque consenescere posse Academiam quam diu eandem experiatur alumnorum pietatem qualem maiores nostri ex animo semper adhibuerint. Cuius quidem exempla repetentibus occurret non modo regum vel reginarum series, sed enumerare licet primarios in ecclesia viros, clarissimos regni magistratus, doctores eruditissimos in Theologiae, Iurisprudentiae, Medicinae facultatibus, fortissimos denique milites ac summos duces; quos omnes inter se certavisse crediderim quis demum Almae suae Matri amantissimum se praestare posset. Sed dum ceteros nobilissimos homines breviter tantum percurro, ingrati me animi arguere deberem nisi nominatim proferrem virum praeclarissimum NATHANIEL BARONEM CREWE[2], cuius quidem liberalitatem tum in hanc Academiam tum in Collegium Lincolniense collatam mihi ipsi percipere contigit.

Et quoniam ex his tot tantisque beneficiis alia sunt quorum hodie notissima exstant monumenta, alia in novos usus transierunt, aliorum autem 'etiam periere ruinae', tanto magis providere debemus ne vel

[1] George Rolleston, M.D., Pembroke College, Professor of Physiology 1860.
[2] Bishop of Durham; Rector of Lincoln College 1668.

nomina pereant neve pietatis memoria oblivione obruatur. Etenim si de crebris ac subitis mutationibus mentio inciderit, vel si de hodierna Academiae condicione erit sciscitatum, paene cum Tullio dixerim—'quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum?'[1].

Diruimus, aedificamus. Hinc Novis, ut dicuntur, Scholis summa iam manus imponenda est: hinc Bibliotheca nostra Bodleiana praetereuntibus minari videtur

tenui tibicine fulta
magna parte sui.[2]

Iam magis magisque in dies in rura suburbana congregantur Academiae professores et praelectores, Collegiorum tutores ac socii. Qua nuper arva erat videre, boumque labores, 'et raris habitata mapalia tectis'[3], hic frequentantur ambulationes amoenissimae, hic 'villarum culmina fumant'[4], hic cotidie ad pilam itur lusumque trigonem.

Quod si ad interiorem Academiae actionem atque administrationem respicitis, nihil fere est quin mutationes subire videatur. De examinatoribus atque examinandis, de ipsarum examinationum numero et ratione disceptatur. Iam bis intra hos paucos annos creati sunt septemviri, a quibus primo quidem de Collegiorum vectigalibus est inquisitum; mox ipsorum Statutorum emendatio instaurata fuit—immo nunc etiam instauratur—vel latissime patens. Ex veteribus nostris institutis multa sane sunt quorum usus iam dudum obsolevit; multa quorum iacturam et deplorare licet et comprobare. Neque, ut spero, quisquam erit vel e Catonibus nostris qui desiderare se fateatur 'Societatum desidiosarum immunitates', aut 'caelibis vitae propugnaculum'.

Bene actum esse nobis putabimus si verae doctrinae utilitatibus opitulari videbimur; si inter Vniversitatem et Collegia vel coniunctior intercesserit necessitudo ac mutua quaedam auxilii consociatio.

[1] Cic. *Pro Mur.* 35.

[2] Juv. *Sat.* iii. 193. The Bodleian was undergoing extensive repairs and was surrounded by scaffolding.

[3] Verg. *Geo.* iii. 340.

[4] Verg. *Ecl.* i. 83.

'Quod feliciter vortat Academiae Oxoniensi!', cuius quidem diuturnitatem certissimam ac prope immortalitatem praesagire ausim ex perpetua illa ac fidelissima alumnorum pietate, cui nunquam non freta viget adhuc viguitque

multosque nepotes
multa virum volvens durando saecula vicit.[1]

[1] Verg. *Geo.* ii. 295.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XIII MENS. IVN. MDCCCLXXXIII

FIERI non potest, Academici, quin orationi meae quam coram vobis hodie sum habiturus insit acerbi aliquid atque luctuosi, quoniam tot tantosque viros, eximiis virtutibus summis honoribus cumulatos, paucis his mensibus abreptos sibi maeret Academia. Et postquam diu mecum cogitaveram quaenam praecipue debuerit esse orationis dispositio; num primo quidem eorum hominum mentionem facere oporteret quos Fundatores ac Benefactores proprie nuncupamus, deinde ceterorum qui nuper obierint memoriam atque recordationem repetere, ita ut duplex quodam modo fieret orationis ratio, venit mihi in mentem inter hos et illos nullam utique eius modi distinctionem exsistere. Credo equidem non eos tantum titulo ac nomine benefactorum dignos esse habendos qui iam dudum Vniversitatem nostram vel praemiis vel praediis auxerint; neque eos tantum in numero fundatorum collocandos qui constituerint collegia, aedes posuerint, condiderint bibliothecas. Immo vero nulla non aetas Academiae benefactores gignit, profert fundatores. Nam si quis se ipsum Alma sua Matre dignum praebuerit, adeo ut doctrinam eius moribus suis ac virtute comprobaverit, quid aliud est quam beneficia in Academiam conferre? Vel si quis nobile exemplum ceteris proposuerit, sive meritis suis institutionem nostram commendaverit, quid aliud est quam rei publicae nostrae non modo fundamenta denuo iacere, verum etiam stabilire, confirmare, ad fastigium adducere? Haec unica et vera civitatis nostrae societas; hinc fit ut cum priscis illis civibus de Academia nostra optime meritis perpetua quadam pietatis necessitudine coniungi et consociari videamur.

Ergo operae pretium erit hodie illustrissimorum ac nuper defunctorum civium mentionem facere, quos quidem haud scio an non

rectius Genios loci aut etiam Deos Indigetes appellaverim. Atque in primis commemorare velim EDVARDVM BOUVERIE PUSEY, linguae Hebraicae Professorem Regium, Aedis Christi Canonicum, Collegii Orielensis quondam Socium [1]. Cuius quidem vitam ac labores breviter strictimque in medium proferre, quid aliud foret quam fastos ipsos non solum huius Academiae verum etiam Ecclesiae Anglicanae per hos quinquaginta annos evolvisse? Occurrit longa certaminum et disceptationum series, quarum omnium pars magna fuit. Quot qualesque amicos sibi adiunxit, quot quantaque hominum studia sibi conciliavit, quantis in simultatibus, controversiis, litibus est versatus dum fidem Anglicanam redintegrare, tueri, interpretari studet! Non nostrum est hodie arbitri partes suscipere nec pronuntiare velle utrum obesset magis an prodesset Ecclesiae: satius, ut credo, erit universum omnium luctum testari, ac summa reverentia maximi sanctissimique viri memoriam colere; admirari eruditionem, adsiduitatem, diligentiam; comprobare studia ac labores ne in provecta quidem senectute intermissos; denique vitae simplicitatem, benignitatem, innocentiam sincero amore prosequi. Ad alium virum transeo, haud minore luctu a nobis omnibus et defletum et deflendum. Immo vero tota natio Britannica (paene dixeram totus orbis terrarum) huius Academiae vicem dolere videtur praeclarissimum alumnum deplorantis, ARCHIBALDVM CAMPBELL TAIT [2], Collegii de Balliolo quondam Socium et Tutorem; qui demum post multa atque gravissima officia feliciter confecta ad summos Archiepiscopatus honores vocatus haud minus civem se rei publicae quam praefectum Ecclesiae gerebat, ita ut universis civibus semper consulendum esse reputaret. Itaque, etiam si quibusdam fortasse nunc res paulo liberius tractare, nunc inconcessa concedere videretur, tamen in tantarum rerum tam difficili administratione, quae detrectatoribus omnino carere non possit, mirum est quem ad modum totius populi studia in se converterit. Nam si qua ex parte candor atque sinceritas ingenii, si iustitiae amor, si patientia,

[1] E. B. Pusey, D.D., born 1800, died 1882, Regius Professor of Hebrew.

[2] Archibald Campbell Tait, D.D., born 1811, died 1882. Bishop of London 1856, Archbishop of Canterbury 1868.

fortitudo, magnanimitas, laudabilia sunt, quis est quin collaudare velit summum virum, imperii capacissimum, suorum amantissimum, in omnes comem ac benignum? quis est quin admiratione prosequatur gravissimum in Curia oratorem, Reginae nostrae consiliatorem acceptissimum, verae religionis studiosissimum fautorem? De quo haud scio an quidquam aptius dictari possit quam summi illius philosophi praedicatio, cui mos erat

servare modum finemque tenere . . .
nec sibi sed toti genitum se credere mundo.[1]

Venit quoque in mentem illustrissimi viri augusta senectus, EDVARDI HAWKINS[2], Collegii Orielensis quondam Praepositi. Iam nunc mihi videor adspicere Nestoris illius etiam tum nonagesimum annum agentis decoram maiestatem, venerabilem canitiem, ac paene iuveniles oculorum nitores. Cum vero, ut credibile est, parum liceat utique iunioribus grandaevum senem, tot suis aequalibus superstitem, tam diu absentem recordari, eo libentius memoriae vestrae tradam summum atque doctissimum virum, iustitiae veritatisque amantissimum, potentiae vero auctoritatisque adsertorem acerrimum. Quis autem adest hodie, vel iuniorum vel seniorum, quin intimo dolore lugeat HENRICVM STEPHANVM SMITH[3], Quintilium nostrum desideratissimum:

cui Pudor et Iustitiae soror
incorrupta Fides nudaque Veritas
quando ullum invenient parem?

Ipsa mihi Academia lugubres modos praecipere, ipsa rogare videtur

quis desiderio sit pudor aut modus
tam cari capitis?

Equidem nescio an alius quisquam exstiterit aut Almae Matris studiosior, aut ingenio excultiore, uberiore doctrina, suaviore indole

[1] Lucan, *Phars.* ii. 381.
[2] Edward Hawkins, D.D., Provost of Oriel 1828. Canon of Rochester.
[3] H. J. S. Smith, M.A., Scholar and Fellow of Balliol; Keeper of the University Museum 1874.

praeditus. In rerum physicarum scientia, in abstrusissimis mathematicae investigationibus, in litterarum Graecarum ac Romanarum notitia, quis unquam laudem tulerit ampliorem? Immo, ut ipsa Titi Livii verba adhibeamus de M. Porcio Catone disserentis[1], 'huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit ut natum ad id unum diceres quodcunque ageret.' Quanta enim erat in rebus administrandis sagacitas, quam mira in conscribendo perspicuitas, quae in colloquendo vel contionando conciliatrix venustas, adeo ut veniat mihi in mentem notum illud de Pericle praeconium,

πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.[2]

Denique ut universa maeret Academia alumno insigni orbata, ita pro se quisque consiliatorem, amicum, sodalem dilectissimum complorare videtur. Neque mihi fas erit silentio praeterire ARNOLDVM TOYNBEE, non modo Balliolensibus suis verum etiam multis amicis, sodalibus, discipulis merite acceptum. Qui quidem utrum iunioribus an senioribus rectius sit adscribendus incertum est: namque iuvenili innocentiae morumque simplicitati maturiorem quam pro annis sapientiam adiungebat; ita ut senioribus pariter atque iunioribus flebilis occiderit. Hunc virum, Academiae observantissimum, optimum rei publicae civem, plebis amantissimum, studiosissimum patriae,

ostendunt tantum terris hunc fata neque ultra
esse sinunt.[3]

De domestico Vniversitatis statu difficile est rationem reddere. Modo veritus sum ne ipsa Academia vel in aere alieno vacillet vel prorsus decoxerit; modo crediderim opibus illam florere, ut nunquam alias, quae tam effusos sumptus libenter ac laeto animo in dies impendat. Collegia nostra plurimis distinentur occupationibus dum ad nova se statuta accommodare, et vectigalibus deminutis plura munera obire certant. Mea ipsius Societas[4], seu sinistro fato sive divina

[1] Livy, xxxix. 40. [2] Eupol., Δῆμοι, frag. 6. [3] Verg. *Aen.* vi. 870.

[4] Lincoln College, though not having received new Statutes from the last Commission, voluntarily endowed a new Professorship.

providentia, huius modi mutationibus paulisper excepta, tanquam alterius laborem spectare cogitur. Sed tamen, ne in tali tempore aut Academiae deesse aut debitum officium declinare videretur, nullam ipsa moram interposuit quin Archaeologiae Professorem Sociorum suorum numero ultro adscisceret et stipendio donaret. Equidem vero dubito utrum omnino Academiae an officinae intersimus, cum tot tantaque opera, tantae moles machinarum tanquam in incudibus fingantur, conflentur, procudantur. E quibus recentia quaedam in hodiernos usus nunc primum fabricari; antiqua autem aut obsoleta acui denuo atque refici videmus. De numero ac ratione examinationum, de examinatoribus eligendis, de professoribus creandis, de lectionibus ordinandis, de rebus sescentis, summo studio trepidatur. Nullo non die convocantur, prolatantur concilia, res referuntur, legati renuntiant, in suffragium itur. Porro nobis omnibus intenditur nova quaedam censoria animadversio[1], ne forte officio deesse inveniamur. Audire videor legem horrendi carminis, tanquam e duodecim tabulis desumptam—

SEI · QVIS · PROFESSOR · VEL · PRAELECTOR ·
NEGLEGENS · VEL · DESIDIOSVS · ESCIT · SACER · ESTOD ·
SEI · CALVITVR · PEDEMVE · STRVIT · MANVM · ENDO · IACITO ·

Cui quidem censurae Orator ipse Publicus iam factus est obnoxius. Quas autem poenas de eo sumere licuerit, neque adhuc scio neque rogare ausim. Sunt qui dicant eum, si orationem prolixiorem habuerit, vel modo subiunctivo (quod Di avertant!) paulo inconcinnius sit usus; si syllabam longam corripuerit vel brevem produxerit, aut multandum esse aut exauctorandum. Quocirca indulgentiam vestram et clementiam in hoc tanto discrimine oro atque obsecro!

Restat modo ut summis viris gratulemur qui hodie unanimo suffragantium consensu ad gradum Doctoris in Iure Civili, honoris causa,

[1] A Visitatorial Board was appointed by the Commissioners in 1877, to which, among other persons, the Public Orator is made amenable.

admissi sunt. Aliud tamen est hospites vel illustrissimos excipere; aliud alumno nostro ac dilectissimo Principi[1], tanquam in Larem suum familiarem reverso, salutem dicere amicissimam. Fas est nobis tibi ipsi, Princeps, tuoque quod tam laetis auspiciis suscepisti coniugio fausta omnia precari.

Vivas: et tuis ipsius et paternis virtutibus, quas pro virili parte effingere studes, caritatem tibi omnium magis magisque concilies.

[1] Prince Leopold (Duke of Albany) visited the Encaenia with his bride.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XVII^MO^ MENS. IVN. MDCCCLXXXV

SVNT qui censeant, Academici, perpetuam Fundatorum Benefactorumque praedicationem supervacaneam esse et quasi praeposteram. Quid enim aliud est (obiecerit aliquis) quam meram enumerationem conficere vel titulos recitare—nobiles illos quidem sed iam dudum significatione prorsus carentes? Quae quidem omnia Oratori recte essent obicienda, si illud tantum curaret ut regum, primorum, ducum, civium illustrium ceterorumque qui de Vniversitate bene meruerint summatim percurreret nomina. Frigidum id sane munus et servile officium! At, nisi magno opere fallor, graviori censurae essem obnoxius, si hoc praesertim die, si maximis his Comitiis, si confertissima, ut nunc est, Convocatione, silentio praeterirem priscae illius pietatis memoriam, quae Academiam tot tantisque auxit beneficiis. Non enim hodie aut nostris ipsorum viribus inniti aut opes a nobis ipsis congestas disponere videmur, sed potius traditam ab amantissimis parentibus adire hereditatem.

Quod si illam fundatorum pietatem quae qualisque sit recte aestimo, hoc praecipue summos illos viros respexisse crediderim, non tam ut Academiae fixam immutabilemque legum rationem iniungerent quam ut Almae suae Matris utilitatibus inservirent.

Quapropter perridiculum esse statuetis, si quis, vel ob nimium antiquitatis amorem vel ob insitam animi petulantiam, corrupta omnia ac depravata iudicet quae hodie de pristino usu declinaverint; nobis autem stultitiae vel malae fidei, vel etiam proditionis crimen obiciat qui splendida proavorum dona temporum necessitatibus accommodare studeamus.

Vtinam nobiles illas animas e sedibus discretis piorum paulisper excitarem, rogaremque reverenter qua potissimum ratione proposito eorum et consilio optime esset satisfaciendum. Iam nunc audire

videor his fere verbis respondentes: 'Illum vitai lampada, Academici, quam nosmet ipsi manibus vestris commisimus ne dubitetis quam latissime tradere! Vestrum est suscitare flammam, et quasi cursu ventilare ignem, ut publici luminis participes fiant quam plurimi. Iam iam perpetuo auctu propagantur doctrinae fines: proinde quoquo ducat scientiae veritatisque indagatio, eo usque licet procedere et progredi. Quod si temporum mutationes novam studiorum, consuetudinum, institutionum rationem postulant, cavete ne lenta segnitie aut ignava cunctatione officium detrectare videamini!' Quam quidem cohortationem eo libentius accipio quoniam nonnulli de re publica nostra desperare se profitentur, dum inania veteris atque obsoletae aetatis simulacra denuo ciere certant, atque intermortuae disciplinae revocare normam, rotamque Academiae multo sufflamine adstringendam esse conclamant ne forte excidio instanti subruamur. Sed perterricrepos praesagientium ululatus missos faciamus; illud pro virili parte agentes ut quas ex praeterito traxerimus vires eas tum in praesentis tum in futuri temporis usum spe bona adhibere audeamus.

Ad illustrium virorum memoriam nuper defunctorum transeo. Quos inter primum commemorare velim MARCVM PATTISON [1], Collegii Lincolniensis per annos XXIII Rectorem, virum summa doctrina, summis ingenii dotibus insignem: qui quidem haud scio utrum iustius philosophis an criticis sit adnumerandus. Namque si ad vim dialecticam spectes, Platonica illum subtilitate vel Aristotelis acumine imbutum esse credideris; sin ad rem criticam, alterum habes Aristarchum. In omni eruditione et Graeci Latinique sermonis copiosa notitia Casauboni vel Scaligeri sui discipulus esse videbitur, quorum utriusque vitam cum diligentissime explorasset, alteram luculenter enarravit, alteri summam manum iam nunc impositurus morte est praereptus.

Et quoniam in mei ipsius Collegii mentionem incidi, haud mihi fas

[1] Mark Pattison, B.D. (1813–84) graduated from Oriel College in 1837, was elected Fellow of Lincoln College in 1839 and Rector in 1861. His Life of Casaubon was published in 1875 (2nd ed. 1892), but his Life of Joseph Scaliger was never finished.

erit memoriam omittere amicissimi ac prudentissimi Visitatoris IOANNIS JACKSON, qui postquam ad episcopatum esset evocatus primo Lincolniae deinde Londinii, bonam omnium voluntatem ita sibi conciliavit ut nemo unquam felicior exstaret vel ad simultates sedandas vel ad concordiam pacemque constituendam. Venit quoque in mentem Collegii Lincolniensis alumnus insignis, WILHELMVS JACOBSON [1], apud nos quondam Sacrae Theologiae Professor Regius, et ipse in episcopatum provectus; quem, si equidem temere praeterirem, locus ipse, ipsa quibus insisto Rostra, non possent non revocare Oratoris Publici partes feliciter agentem; virum disertum, humanum, adfabilem. Hi vero omnes exacta aetate et quasi emeritis stipendiis discesserunt: morte praematura nobis est abreptus EDVINVS WALLACE, Collegii Lincolniensis olim Scholaris, Vigorniensis Socius ac Tutor, ab aequalibus pariter atque discipulis lugendus; optimae spei iuvenis atque eximiae virtutis, qui studiis totum se dedere et discipulis suis impendere curam sciebat magis quam aut officio unquam deesse aut infirmae parcere valetudini.

Alter iam annus agitur, Academici, ex quo coram vobis sum contionatus. Tunc quidem sperare me dixi fore ut aliquando, compositis et constitutis omnibus, otium inter negotia, vel etiam philosophicam atque umbratilem vitam consequeremur. Qua de spe invitus recessi, quoniam, sicut antea, tempus terere gaudemus aut statuta minutatim resarciendo, aut pugnas veteres novis armis redintegrando. Nec quisquam est quin stupeat vastam illam et fatalem examinationum machinam, quae tantam in molem succrevit ut totam fere aestatem portentosa diuturnitate absumat.

Bene nobis nobiscum esse puto quod festus hic dies Saturnalibus aestivis [2] iam tandem finem ponit, quae vereor equidem ne latius quotannis propagentur atque extendantur; quippe non iam intra paucos dies solent circumscribi: immo vero usque ab ineunte Maio

[1] William Jacobson, D.D., Lincoln College; Fellow of Exeter College; Public Orator 1842; Regius Professor of Divinity 1848.

[2] 'Commemoration' is described as bringing to an end the Summer Term, that since the 'Eights' has been given over to festivities.

perpetuae habentur feriae. Primo quidem confertissima amicorum cognatorumque frequentia navali pugna decertatur: mox 'veteres ineunt proscaenia ludi'; deinde in rus excurrere et comissationibus interesse moris est. His accedunt

μολπή τ' ὀρχηστύς τε· τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.[1]

Adeo iuventuti nostrae obsident sorores et consobrinae et amitae—oculorum oblectamentum, solamen animi, studiorum pernicies! Fieri tamen potest ut eae ipsae aliquando, si quid hodie detrimenti Minervae nostrae intulerint, plus quam satis sint compensaturae, novos invicem studiis stimulos subicientes, dum, propria nobis privilegia invidentes, inter mares sese examinandas sistunt, et doctarum praemia frontium adulescentibus praeripere certant, *Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι.*[2]

Magnas inter inclinationes ac momenta rerum hodie versamur. Quidquid enim aut struamus aut infectum relinquamus suspiciosissima hominum iudicia subeat necesse est. De nulla non re disceptatur; neque in his temporibus aut priori credere fortunae aut velut magni nominis umbra stare audemus. In controversiam vocatur Academia cum a factiosis atque infestis hominibus tum ab optimis civibus et Almae Matris studiosissimis. Venit in quaestionem utrum satis reverenter religioni inservire aut commodam alumnis disciplinam inculcare videamur. Quid sit debitum antiquae institutionis rationi, quid recentioribus studiis et physicae, ut vocatur, scientiae in incerto est. De professoribus quaestio fit, utrum illi praesertim sint adsumendi qui discipulos docere student an illi qui lucubrationibus acutis laudem sibi comparare malunt. De tutoribus disceptatur, utrum muneribus suis admodum satisfaciant, an in matrimonium dilapsi et inter nutriculas versantes Collegia sua, ut lustra fiant ferarum, deseruerint. 'Non nostrum tantas componere lites!'[3] Illud tantum modo, illud nobis est agendum ut factorum potius quam verborum vi obtrectantibus et interrogantibus responsa reddamus, ita ut luce clarius innotescat omnibus neque ab antiqua nos laude degenerasse, neque posteritati consulere nescire.

[1] Hom. *Odys.* i. 152. [2] Hom. *Il.* iii. 189. [3] Verg. *Ecl.* iii. 108.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXII^DO MENS. IVN. MDCCCLXXXVII

FERREVS is esset, Academici, et paene inhumanus qui hanc frequentiam immoto animo spectare posset. Equidem Oratoris Publici officium ut semper honorificentissimum habui atque iucundissimum, ita hodie arduum, ne dicam periculosum, esse sentio. Non quia solito maior haec Convocatio; quo modo enim ea maior fieri potest quae maxima est semper? nec quia verendum mihi ne vos auditores fastidiosos vel difficiles experiar, qui me in hoc loco contionantem amicissimo favore nunquam non exceperitis. Verum id mihi timorem facit ne forte, dum universae laetitiae interpres esse studeo, aut exspectationi vestrae aut meo ipsius proposito deesse videar.

Itaque ne mihi culpae insimuletis, si missa antiqui temporis commemoratione sollemni ad nostram me aetatem protinus conferam, quo melius Reginam dilectissimam ea qua par est gratulatione prosequar.[1] Neque vero etiam si ad propositum festinantes honoratissima nomina praetermittamus, fautorum et fundatorum omnino immemores esse videbimur.

Vos etenim, vos, maiores nostri, obtestor, ne quis nos oblivisci putet vestra utique beneficia in tantam tamque perfectam nos Academiam constituisse atque consociasse, ut nonnihil publicae auctoritatis hodie habeamus, partemque in communi gaudio capiamus haud contemnendam. Namque in vasto illo ac multiplici Reginae nostrae imperio, ecquid usquam huius regni exemplar plenius atque absolutius inveniri potest quam apud Vniversitatem nostram? Nempe non unius urbis vel regionis instar habet, quae non solum ab omnibus patriae partibus sed a Maiore illa quam dicunt Britannia, sed ab Indica provincia, sed ab ultimo orbis sinu alumnos suos et convocaverit et convocatos mutua obstrinxerit necessitudine. Cui

[1] This was the 'Jubilee Year' of Queen Victoria's reign.

quidem iactationi nemo, ut opinor, veniam denegabit, cuius ea ratio est, id consilium, ut gratulationibus et laudationibus nostris maioris aliquid pretii hodie inesse videatur.

Quinquagesimus agitur annus ex quo Regina nostra ad imperium accessit. Quis est cuius animum non tangat imago illa regiae puellae non sine lacrimis et iuvenili formidine arduam hereditatem accipientis? Quis est quin insitam illam morum sanctitatem, summas tum corporis tum mentis dotes, raram ac singularem rerum administrandarum capacitatem, prudentiam, sagacitatem admiretur? Tu tamen, Regina nostra et Imperatrix, ita populo Tuo Tua omnia patefacere et concredere dignata es, ut salva reverentia ad interiora vitae Tuae accedere, Tuam vicem dolere, Tecum gaudere licuerit. O quam Te fausto matrimonio beatam novimus, quam felicem prole, quam profligatam eheu! mariti optimi et liberorum carissimorum interitu! Quam in his omnibus reverentia, amore, observantia dignam Te praebuisti, quae mater dulcissima fidissima coniunx matris coniugisque nomini decoris aliquid ipsa adieceris!

Haud nostrum est, Academici, huius aetatis annales vel strictim percurrere. Alterius et temporis et loci est describere quae quantaque bella terra marique gesserint fortissimi nostri milites, quas victorias reportaverint quasve subierint clades. Non deerunt qui obtestentur Chersonesum Tauricam et obsessam Sebastopolim, compressam apud Indos atrocissimam seditionem, et pugnas ancipites cum gentibus barbaris vario successu decertatas. Quid dicam de rebus in Aegypto gestis, prorutis Alexandreae moenibus, et conculcata rebellione? Quid de lintrium classe Nilo subvecta et cum Arabum levi armatura strenuis dimicationibus? Quae quidem omnia melioribus utinam consiliis confecta essent, nec lentis cunctationibus aut inconsulta festinatione vitiata! Quam vellem tanta generosi sanguinis effusione supersederi potuisset, ac praesertim Gordoni summi et incorrupti ducis morte,

iustissimus unus
qui fuit in *nostris* et servantissimus aequi![1]

[1] Verg. *Aen.* ii. 426.

Multo est iucundius mirabiles artium scientiarumque progressus, quos ne somniabant quidem maiores, commemorare. Etenim quae profecto aetas tot hominum migrationes, tot regiones patefactas, tot tantasque silvarum montium camporum vastitates aratro domitas vidit, armentis refertas, praediis oppidis urbibus exornatas? Quo factum est ut terrarum orbis tanquam fines suos extendere et ipse ipso maior fieri sit visus: nisi forte illos ipsos fines coartari quam prolatari rectius dixerim, et iniqua illa spatia quibus dirimerentur gentes contrahi atque concludi. Namque viis ferro stratis, traiectis fluminibus, perfossis Alpibus, tanta quae nunquam antea hominum fit concursatio; ipsumque Oceanum, quem dicit Horatius dissociabilem, societatis equidem communitatisque humani generis vinculum nuncupare ausim.[1] Mihi quidem currus vaporantis fulmineam velocitatem obstipiscenti venit in mentem Lucretiana illa ignis aetherii descriptio, ut feratur

omnia luminibus lustrans loca percitus ardor, . . .
unde tremor terras graviter pertemptet, et altum
murmura percurrant caelum.[2]

Iam nunc audire videor appropinquantium rotarum fragores et anhelantem fornacis strepitum: iam nunc praetervehi cerno 'et longos a tergo albescere tractus'.[3] Etiam renatos esse crediderim Phaeacas Homericos, quorum magica navigia

λαῖτμα τάχισθ' ἁλὸς ἐκπερόωσιν,
ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμέναι . . .
καὶ πάσας ἴσασι πόλιας καὶ πίονας ἀγρούς.[4]

Porro si quis penitus toto orbe sit divisus, ne tum quidem suorum alloquio carendum est, quominus aut ipsae voces aut internuntia vocabulorum signa tenui filo deducta vel oculis subiciantur vel insinuentur auribus. Itaque cum aetatis nostrae condicionem contemplati intellegimus quanta ceperint incrementa artes omnes et scientiae, quid in arte musica profecerint nostrates, quantum ad tabulas depin-

[1] Railways, Alpine tunnels, locomotives, steamships, telegraphs and telephones.
[2] Lucret. vi. 283. [3] Verg. *Georg.* i. 367. [4] Hom. *Odys.* viii. 561.

gendas et veritatis et sollertiae contulerint, quae qualisque pateat omnibus cogitandi, loquendi, agendi libertas; quem ad modum ius suffragii prolatum sit populo, et doctrinae rudimenta vel infimo ordini communicata, quis est quin honesta quadam iactatione de patria sua superbiat? Miras tamen inter diversitates et quasi repugnantias rerum versari videmur, quippe qui uno eodemque tempore et pacis opera colere et apparatus bellicos parare studeamus. Hic nova necis instrumenta adhibentur; illic adiumenta vitae, dolorum mitigationes, morborum remedia. Hic lautissime (ut nunquam fere alias) vivitur; hic fame enecantur pauperes. Iam mercaturae maxima fit et paene incredibilis accessio; iam ob vilitatem annonae vel ob caeli intemperiem de quaestu frumentario desperant agricolae. Porro, si non iniuria de morum corruptela, de factionibus seditiosis vel in civitate vel etiam in senatu adhibitis cotidie deploratur, tamen haud est disputandum quin nunquam antea aut ad egenorum sublevationem aut ad probitatem veramque religionem confirmandam obnixius incubuerint nostri. Quapropter inter spem metumque fluctuante hominum exspectatione haud cuiquam fas est vatis partes agere et de futuri temporis exitu oracula proponere. Illud saltem lucro est apponendum; illud Dei Optimi Maximi providentiae acceptum referre debemus, nihil prorsus aut ad vitia comprimenda aut ad fovendas virtutes magis contulisse quam quod Tu semper, Regina nostra, sanctitatis clementiae pietatis praebuisti exemplum. Hinc populi amor: hinc in Te collocantur omnium hominum studia. Testentur (si testimonio opus est) hesternus dies[1] ac prope universa orbis terrarum gratulatio: testentur plausus et acclamationes tantae multitudinis unanimo consensu incitatae quantam haud scio an ulla unquam aetas congregatam vidit. Testetur supplicatio ad fanum Westmonasteriense habita, et in summa pace triumphus qualem nemo unquam e bello reportavit. Etiam nunc aethera ingenti laetantium strepitu tremere et reboare crediderim: etiam nunc ante oculos nocturnas urbium oppidorumque plateas plus quam diurna luce ful-

[1] The Thanksgiving Service at Westminster Abbey was held on June 21.

gentes, montiumque vertices festis flagrantes ignibus adspicio. Ista tamen omnia ridenda et quodam modo contemnenda esse iudicarem, si vel hodie vel crastino die nihil nisi restinctorum ignium cineres et inanis remaneret acclamationum imago. Immo vivit vigetque in pectoribus et medullis omnium ardor quidam inexstinctus: vivit aliturque flamma caritatis studii observantiae: vivunt illae laudationes Tui, non pro tempore tantum editae sed in cotidianum sermonem penitus defixae.

Quocirca Academia nostra, ea qua semper usa est reverentia ac pietate, salvere Te iubet, Tibi fausta omnia precatur, Tuamque vicem Deum omnipotentem suppliciter orat ut quem ad modum Te Tuosque tot tantisque cumulaverit beneficiis, ita Tibi ipsi beatam vitam diuturnamque felicitatem extendat, imperioque Tuo et regiae stirpi pacem concordiam atque perpetuitatem.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXVI MENS. IVN. MDCCCLXXXIX

CONFITEOR equidem, Academici, quotienscunque in haec rostra escendo coram vobis contionaturus, nonnullo me timore sollicitari ne forte, dum sollemnia diei munera perago, taedium audientibus invitus adferam. Etenim si trita via insistere, si publico meo officio satisfacere experiar, seu benefactorum ac fundatorum memoriam recolendo sive huius Academiae annales vel summatim perstringendo, caute providendum erit ne quodam modo

occidat miseros crambe repetita magistros.[1]

Magistros dico? immo non solum magistros verum etiam amicissimam adulescentulorum frequentiam, quorum voces in hac contione argenteae, silentium autem aureum est habendum. Tamen ea me semper benignitate excepistis, etiam Latino sermone balbutientem, ut sperare audeam fore ut haud minorem hodie concedatis veniam, et si quid vel in oratione vel in ingenio ipse defecerim, id mihi pro clementia vestra explere studeatis. Et profecto, nisi magno opere fallor, nunquam antea magis idoneam nacti sumus occasionem adgnoscendi atque confitendi quantum iis omnibus beneficiis debeamus quae summorum virorum pietas in Vniversitatem nostram contulerit. Mitto hodie, ut par est, invidiosas illas obtrectationes quibus interdum temporis acti laudatores praesentem Academiae statum increpuerint: mitto praeposteras eorum censuras qui hominum benevolorum dona obsoletis finibus etiam nunc praecludi mallent quam novis rerum condicionibus accommodari. Nobis Academicis illud praesertim hodie est agendum ut a maioribus datam fidem non modo non violemus verum etiam quodam modo cumulatam reddamus; quippe quorum providentia ac munificentia tantam tamque dignam here-

[1] Juv. *Sat.* vii. 154.

ditatem acceperimus. Ea autem est doctrinae hereditas ut erogando maior fiat, participando adaugeatur. Nempe avari est defosso thesauro incubare: is demum auri utilitatem cognovit qui in humanos usus prudenter coëgerit.

Quapropter gratulor Academiae, quae dotes sibi commissas tandem aliquando generosius tractare ceterisque latius communicare didicerit. Itaque, tanquam ver sacrum voventes, optimam spem gentis Academicae e finibus nostris auspicato emisimus, ut nostro quasi diplomate muniti in provincias proficiscantur,[1] urbes invisant, habeant praelectiones, convocent ad se discipulos, et scientiae facem, quam sibi ipsis tradidit Academia, eam rudioribus ingeniis tradendo incumbant. Sed haec foris. Quid si ad ea quae domi geruntur respiciamus? Quis est quin admiretur Vniversitatem a studiosa inventute nuper obsessam? Media est aestas: feriae aguntur: conticuere Collegia. Neque tamen torpentem urbem neque vacuas videres Scholas.[2] Immo audire licet

Augusto recitantes mense poetas,[3]

vel potius professores ac praelectores nostros de philosophia, de historia, de litteris, de omnibus rebus disserentes. Stipantur meritoria: strepunt plateae: huc illuc discurrunt discipuli,

βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά.[4]

Neque unius modo sexus haec frequentia, sed immixtae adulescentibus puellae—nostram ipsae Minervam colentes—nunc studiis operam impendunt, nunc in hortis et umbraculis obambulant, nunc remis acclines fluvio vehuntur, nunc pila exercentur lusoria. Illa vero doctrinae subsidia ne statim intercidant atque in oblivionem dilabantur, censuimus discipulis etiam in lares suos reversis consulendum esse, ut eadem illic studiorum ratio foveatur atque continuetur, et cuique innotescat et quid commodissime sit legendum et quo potissimum modo.[5]

[1] University Extension Lectures.

[2] Course of Extension Lectures at Oxford in the Long Vacation.

[3] Juv. *Sat.* iii. 9. [4] Aristoph. *Frogs*, 1114. [5] Home-reading Classes.

Iam vero tot tamque laudabiles progressus recolenti venit mihi in mentem nonnullos homines, nimiae nostrae auctoritatis suspiciosos, privilegia Academiae et commoda certatim decurtare velle. Nec mirum: quoniam semper erunt qui ob merum livorem felicitatem alienam limis oculis adspiciant. Quos quidem cavere haud multi plerumque est laboris, gravius autem est hostis domestici insidias propulsare. Itaque non possum non indignari quod ex nostris alumnis quidam (vir alioquin haud ineptus) nuper rogationem tulerit, qua provisum est ne quis posthac Academicorum suffragiis electus ordini adscriberetur senatorio. Quae rogatio cum frequenti curia sit antiquata bene est. Nobis autem inimicorum invidiam animadvertentibus nunquam non studendum erit ut nostris nos privilegiis omnibus dignissimos esse demonstremus.

Verum enim vero, quoniam in hac contione semper moris fuit eorum repetere memoriam si quos nuperrime morte abreptos maereat Academia, liceat mihi insignem pietate virum in mentes vestras revocare, qui, etsi nobis longae absentiae condicione tanquam amissus, tamen et totius Vniversitatis et praesertim Collegii sui Orielensis amator exstitit et castigator unicus. Quis est cuius ex animo exciderit IOANNES BURGON[1], Decanus Cicestrensis, vir admodum reverendus et in critica sacra expertissimus? Qui profecto quotienscunque in controversias se iniecisset,

impiger, iracundus, inexorabilis, acer,[2]

procul dubio videbatur: idem vero cunctis disputationibus tantum leporis immiscebat, tam suavi pervicacia suis ipsius opinionibus inhaerebat, tam strenuum acti temporis laudatorem se praestabat, ut omnium sibi indulgentiam, multorum amicitiam, conciliaret.

Ad alterius viri piam commemorationem accedo, cum ab universa natione communiter deplorati tum a nobis proprio quodam desiderio honorandi, quippe quem nostris ordinibus haud ita pridem adscriptum honorifico doctoris nomine hoc ipso in theatro salutaverimus. Iustum

[1] The Very Rev. John W. Burgon, B.D., late Fellow of Oriel College; Dean of Chichester.

[2] Hor. *A. P.* 121.

illum ac tenacem propositi virum IOANNEM BRIGHT[1], patriae amantissimum atque verae propugnatorem libertatis, unum ut concederet neque summi senatoris auctoritas posset compellere neque veterum amicitiarum memoria. Patriae quid deberet expertus falsam illam libertatem sive licentiam ultro respuebat, quae seditiosis hominibus indulgendo solidam imperii compaginem temere interscindere moliretur. Fieri sane potest ut, praefervidum viri ingenium contemplati, aut 'atrocem animum Catonis'[2], aut tribunicios Gracchorum impetus paene inviti recordemur: neque tamen eo minus admirari licet tribuni nostri mores incorruptos et masculam illam eloquentiam quae mentes auresque omnium vehementer movebat, dum aut pauperibus consulere, aut annonae caritati refragari, aut ius suffragii latius extendere, aut bellum tanquam laesae humanitatis crimen deprecari et voce et lateribus contendit. Illum profecto felicem opportunitate mortis dico qui etsi in senectutem provectus et in plurimis versatus controversiis neque a suorum amore neque ab universa civium observantia decideret. Professorum nostrorum par nobile intimo dolore deflemus, alterum[3] artis musicae peritissimum et ob morum sanctitatem animique benevolentiam amicis apprime iucundum: alterum[4] omnibus humanitatis studiis deditum, philosophiae autem Aristotelicae interpretem primarium. Restat ut viro iuniori debitam laudem amanter impertiam; quod ut propensius faciam adducor quoniam illos de Academia optime mereri censeo qui et studiis abstrusioribus et adulescentium institutioni pari se dederint diligentia ita ut inter docendum ipsi discendo incumbant. Qua quidem laude neminem digniorem invenio quam IOANNEM HENRICVM ONIONS, Aedis Christi alumnum ornatissimum, collegis pariter atque discipulis acceptum et ab Academicis omnibus iure deploratum.

[1] The Right Hon. John Bright, M.P. (1811–89), Chancellor of the Duchy of Lancaster, 1873, 1880–82.

[2] Hor. *Carm.* ii. 1. 24.

[3] The Rev. Sir Fred. A. G. Ouseley, Bart. (Ch. Ch.), Mus.D., Professor of Music 1855.

[4] Henry W. Chandler, M.A. (Pembroke College), Waynflete Professor of Moral Philosophy 1867.

In summa pace ac longa bellandi desuetudine denuo apud pubem nostram incanduit Martius quidem ardor,[1] ita ut eorum qui arma ferre possunt novus fiat delectus; quibus ob patriae amorem salutem dico plurimam, cum satis habeam compertum quibus in praesentia cordi est nonnisi pugnae simulacra ciere, eos ipsos si quid periculi regno institerit protinus ad signa concursuros ut decretoriis armis rem gerant.

Iam nunc cum 'formosissimus annus'[2] paramus omnes ab Oxonia discedere, loco in tota patria nostra amoenissimo. Sed mihi quidem Oxoniae nostrae venustatem ac gratias, ut nemo magis, admiranti irrepit aliquid timoris ne fortasse ipsius loci amoenitas et crebrae hospitum incursiones magis magisque iunioribus temporis dispendia inducant ac studiis vacare vetent. Vbi enim terrarum tot oblectamenta atque desidiae invitamenta quasi in unum collocata invenias? Vbi tot athletarum et remigantium contentiones ceteraque calidae iuventutis ludicra? Adde etiam tot puellarum amabiles occursus, musicorum acroamata, saltationes festivas, hospitales matronarum mensas et pomeridiana pocula[3]. His accedunt sescentae contiones ubi de pauperum sublevatione, de fide propaganda, de vini desuetudine, de holerum usu ac victu nunquam non disseritur. Quapropter saepe dubitavi an ullus sit locus operosae Minervae iniquior. Possem et de examinationibus—multis illis quidem et perplexis—aliquid dicere, consiliariis nostris gratulatus qui, universae scilicet utilitati consulentes, tam portentosam compaginem confecerint, tot pugnantibus inter se Statutis definitam, ut neque mihi ipsi neque ceteris interpretari auderem, ne forte caeca regere vestigia conantem

falleret indeprensus et irremeabilis error.[4]

Sed haec hactenus: nunc ad finem propero. Restat ut summos atque ornatissimos viros, ad gradum doctoris in iure civili hodie admissos, plurimum salvere iubeamus, et Academiae Oxoniensi fausta omnia precemur.

[1] Revival and extension of the Volunteer Movement.

[2] Verg. *Ecl.* iii. 57. [3] 'Afternoon tea.' [4] Verg. *Aen.* v. 591.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXV^TO MENS. IVN. MDCCCXC

VENIAM mihi hodie, Academici, concedatis oro, qui neque meo tempore neque secundum ordinem ad vos contionaturus processerim. Persuasum vero mihi habeo vos omnes ea quam semper in vobis expertus sum bonitate indulgentius esse audituros, si modo cognoveritis coactum me adesse non ut sollemni Oratoris officio fungar, sed ut debitum amicitiae munus quoad potero persolvam. Professor noster Poëseos,[1] quo neminem vel ornatiorem scio vel Almae Matris studiosiorem, domestico dolore obrutus Comitiorum frequentiae ac publico negotio imparem se confitetur. Itaque ne forte Benefactorum Fundatorumque pia commemoratio intercideret, delegatum mihi munus haud omnino invitus excepi, tantum precatus ut vocem meam—nimium saepe ut vereor in hoc theatro exercitatam—patienter toleretis. Ac primo quidem rogare ausim quid praesertim fuerit patroni nostri consilium qui annuam commemorationem in his rostris fieri iusserit. Credo equidem virum sagacissimum, Nathaniel Crewe, praeteriti temporis memoriae optime inservire studentem, adeo non inanem nominum enumerationem quotannis instaurari velle ut potius communem illam summorum virorum sapientiam pietatem munificentiam exponendam ceterisque commendandam curaret, unde tot tantosque fructus perceperit Academia. Quapropter, omissa nominum titulorumque renuntiatione, maioribus nostris quasi summatim gratias ago qui nobis copiam fecerint hereditatem tam splendidam adeundi. Apage mihi Appianam istam iactationem[2] quae

[1] Professor Francis Turner Palgrave was unable to take his turn in delivering the Creweian Oration owing to a dangerous accident which befel his wife.

[2] Among the 'sententiae' of Appius Claudius Caecus, censor 212 B.C., is quoted the line 'Est unus quisque faber fortunae suae'. (Pseudo-Sallust, *De ord. Rep.* i. 1. 2.)

fortunae quemque suae fabrum esse docet! Mallem equidem profiteri nobis Academicis commissum esse non tam fortunam facere quam traditam bene adhibere. Etenim quo magis in scientia, in notitia, in studiis liberalibus vel ipsi profectum facimus laudabilem, vel utilitates nostras larga manu ceteris impertimus, eo magis, ut opinor, tot tantisque nos commodis haud indignos esse demonstrabimus, dum strenua quadam pietate operam impendimus ut beneficiorum omnium quibus Reges, Praesules, ceterique doctissimi ac munificentissimi viri hanc Vniversitatem cumulaverunt sempiterna vivat vigeatque memoria. Nolite tamen arbitrari officio satis esse factum si eorum modo beneficiorum recordationem fecero quorum memoria e longinqua antiquitate sit repetenda. Immo vero nunquam consenescere credo Academiam, sed continua nepotum subole refectam immortalitate quadam vel potius aeterna frui iuventute. Quocirca haud dubitarem fundatorum benefactorumque ordinibus excellentes illos viros adscribere qui vel nuperrime ob singulares animi dotes et naturae nobilitatem cum Almae suae Matri laudem attulerint tum virtutis exemplum ceteris reliquerint imitandum. Itaque his Encaeniis proprium esse semper iudicavi egregiorum hominum mortes desiderio ac veneratione prosequi, ita tamen ut quos viventes venditare refugerit pudor, eos nobis semel abreptos non solum havere atque valere iubeamus, verum etiam aestimare et quasi in trutina ponere temptemus. Eximium in primis virum et poetam notabilem hodie deflemus, ROBERTVM BROWNING, Vniversitatis nostrae alumnum adscititium, Balliolensium Societati honoris causa addictum, quem haud scio utrum propter annos senem an propter vividam ingenii vim adulescentem iustius dixerim. Consentiunt autem omnes laurea Apollinari merito esse donandum. Quoniam vero laureae illius Apollinaris in mentionem quasi temere incidi, hoc verbum lucro libenter apponam, cum non possim non recordari Apollinem non modo nunc aureo plectro plenissime ipsum sonare, nunc Musarum choragum et dulce loquentium

[1] Robert Browning (1812–89), Hon. M.A. of Oxford, Hon. Fellow of Balliol 1867; LL.D. Cambridge.

vatum patronum, sed eundem Iovis interpretem mortalibus ac rerum divinarum et veritatis ministrum exstitisse.

Ac mihi quidem videtur vatem nostrum, quem hodie reverenter celebramus, tali ministerio totum esse deditum, ita ut adflatu paene divino instinctus aliquid sibi maius proponeret quam ut mellito carmine vacuas moraretur aures, aut venustatem loquendi et verborum delicias gravioribus rebus anteferret. Huic viro inerat rara fides et indomitus animi vigor, quippe qui divinae providentiae adsertor impavidus Epicuream mollitiem hodie nimis usurpatam strenue oppugnaret, cum persuasum sibi haberet nemini concessum esse ad altiora escendere nisi disciplinam subeundo, suscipiendo certamina, vitiis resistendo; inde enim masculam firmamque elaborandam esse virtutem. Adeo nihil humani a se alienum putabat ut totam hominum naturam penitus perscrutatus esse videretur. Quis quaeso significantius indicat quas sibi quisque spes conceperit, quo odio, quo amore fuerit instinctus, quibus inhaeserit dubitationibus, quibus mendaciunculis mentem corruperit. Paene dixerim illum Cadmea quadam sollertia praeditum e sulcis et arvo ingenii, si paulo audentius loqui licet, vastam atque diversam virorum mulierumque segetem creasse, et in lucem edidisse. Rerum quoque omnium quas plerumque vel philosophis vel historicis vel criticis relinquendas esse contendimus, harum ne unam quidem refugiebat Musa, nihil altius arbitrata quam ut eo ascenderet, nihil humilius quam ut ornaret, nihil occultius quam ut excuteret. Neque tamen in rebus humanis adeo est defixa quominus aut urbium amoenitates aut solitudines montium aut quotquot veneres seu Italiae campi seu verna Britanniae rura apponant varia voce decantaret. Nos tamen servili adulantium adsentationi tanto opere suffragandum esse negamus ut optime omnia poetam dixisse adseveremus. Erat enim quodam modo (ut cum Quintiliano loquar) nimium amator ingenii sui, ita ut interdum poeticae artis fieret incuriosus, et quod dicendum saepius quam quo potissimum modo dicendum esset sollicitus ad verborum asperitates et perplexas vel subobscuras sententias esset inclinatior. In ea tamen qualicunque reprehensione aliquid fortasse laudis subest. Sed quid plura?

Gratulor Academiae quae tam illustrem sibi alumnum adsciverit: gratulor patriae quae tanti viri cineres a Venetiae litoribus receptos in Aedis [1] sanctissimae hospitio inter eximios Musarum amicos maerens deposuerit.

Par laudabile theologorum deploramus, quorum alter nobis in integra aetate, alter paene adulescens, abreptus est. Quis est qui laudes iustas invideret EDVINO HATCH,[2] viro summae morum mansuetudinis et sedulitatis indefessae? qui cum in omni antiquitate indaganda tum praesertim in priscis Ecclesiae annalibus excutiendis et audentissimum auctorem et modestissimum se praestiterit, ita ut non modo nostratum verum etiam fastidiosissimae Teutonum gentis admirationem moveret. Hellenistarum quoque sermonis thesaurum,[3] quem ut nemo posset melius tractabat, mediis incudibus esse ablatum dolemus, ita tamen ut tantum doctrinae monumentum pio amicorum praesidio mox absolutum iri speremus. Alterum vero, ALBERICVM MOORE,[4] vix e iunioribus egressum, in dubio est theologisne an philosophis adnumerare debeam, quippe qui philosophiae studiosissimus et verae religionis defensor prudentissimus veteres inter utramque simultates pro virili parte dirimere niteretur. Ornatissimum iuvenem, cui societate inter Magdalenenses nuper donato praematura mors obstabat ne ad meritos accederet honores, omnes tum seniores tum discipuli desiderio prosequuntur amantissimo.

De Vniversitate, quoad credo, bene est. Veterem illam litem quae tam diu inter cives togatosque flagrabat ita exstinctam esse gaudemus ut pro rorantibus sanguine plateis cum leone accumbentem agnum admirari liceat. Vter vero agni partes agat uter leonis nondum in liquido est. Instaurata sunt apud Oxoniam urbana illa concilia, frugalitatis scilicet et sapientiae seminaria, quippe quibus intersint

[1] Robert Browning died at Venice on Dec. 12, 1889, and was buried in Westminster Abbey on Dec. 31 of the same year.

[2] Edwin Hatch (1835-89), Bampton Lecturer 1880. Grinfield Lecturer on the LXX 1880-84.

[3] Concordance to the Septuagint.

[4] Aubrey L. Moore, Exeter College, Fellow of St. John's 1873. Tutor at Keble and Magdalen 1881, Fellow and Dean of Divinity at Magdalen, 1889.

de nostris primoribus insignes viri collari pelliceo et coccinea laena decorati.[1] Quod feliciter vortat Academiae Oxoniensi. Bene est de iunioribus, quibus 'pro forma in Parviso respondentibus'[2] lege tandem sancitum est ne quis posthac viva voce examinandum se sistat; nisi forte Scholarum Magistris placuerit unum et alterum vel ab ultima Thule vel a remotis Cornubiae litoribus arcessere ut cruciatum subeat. Id quod non nisi Graecis Kalendis factum iri suspicor. Nec minore laetitia renuntio de iniqua illa quaestionum grammaticarum schedula[3] actum esse, quibus ne Proteus quidem ipse dolosior neque ad captandum difficilior. Equidem vobis omnibus gratulari paratus eram, intermissis ut sperabam pomeridianis istis contionibus quas in ecclesia S. Mariae Virginis habere moris fuit. Placuit tamen dominis doctoribus, placuit magistris retineri veterem consuetudinem, ne forte aut Procancellarii Procuratorumque mores aliquid caperent detrimenti, aut agrestis clerus a iusta contionandi exspectatione exclusus Academicorum ordinibus se subtraheret.[4] Summam pacem et tranquillitatem philosophicam nobis agentibus adferuntur ad aures murmura non belli quidem neque armorum sed discordiae popularis ac seditionum. Quid autem struant operariorum societates quave ratione laborem deminuere augere mercedem statuant ne ipsi quidem satis sunt experti. Conclamant fere omnes lege sanciri oportere ne qua quis die plus quam octonas horas operi incumbat. Quam quidem regulam sunt qui dicant a desidiosioribus nostris alumnis, atque etiam a quibusdam professoribus diu esse praesumptam!

De cetero, iuventutem nostram Graecis Latinisque litteris vel scientiae studiis deditam admonere velim, ne forte obliviscantur quale

[1] By the Local Government Board's Provisional Act of 1889, twelve representatives of the University took their place among the Aldermen and Councillors of the City of Oxford.

[2] The formal title in the University Statutes of Candidates for Responsions, who were for the first time delivered from the *viva voce* part of their Examinations.

[3] The Grammar paper was discontinued; but in one shape or other it has shown a persistent vitality.

[4] The University Sermon on Sunday afternoons in St. Mary's Church was not finally abolished till 1901.

apud concives nostros Cantabrigienses repetitum sit portentum. Nuntiaverunt augures non utique aut lapidibus pluisse caelum aut locutum esse bovem, sed 'virginea domitum sagitta'[1] Rixatorem Seniorem[2] (sic vocant Cantabrigienses) manus dedisse. Quod quidem quo sit piaculo avertendum ne nobis quoque Oxoniensibus obveniat haud scio. Vereor equidem ne mulierculae illae, quae nunc quidem alumnis nostris dulce temporis dispendium faciunt, mox adultis viribus bellum inferant et doctis virorum frontibus deripiant coronam, vel etiam Academiae fisco obsideant! Quapropter optimo cuique iuveni qui nondum improbam Sirena desidiam propellere constituerit hoc oraculum exponam:

> Surge, ne longus tibi somnus, unde
> non times detur . . . scelestas
> falle sorores![3]

Restat ut viros insignes qui hodie nostris sedibus successerunt hospites propensissimo animo salvere iubeam; nec facile est diiudicare quis demum honoribus Academicis dignissimum se praestiterit. Hunc salutamus Parrhasii,[4] illum Hippocratis arte excellentem;[5] hunc Graeci sermonis,[6] hunc philosophiae subtilitatibus expertissimum,[7] hunc bibliothecariorum principem[8]. Nec laudes taceam 'eius qui domita nomen ab Africa lucratus rediit,'[9] exploratori[10] intrepido gratulatus qui per venenatas Pygmaeorum sagittas et 'caligantes nigra formidine lucos' sospes reversus servis infelicibus compedes abripere, sibi ipsi felicia matrimonii vincula adsumere voluit. Hospitibus egregiis et toti Academiae salutem reddo quam maximam.

[1] Hor. *Carm.* iii. 4. 72.

[2] The portent at Cambridge was the defeat of the 'Senior Wrangler' of the year by a Newnham student.

[3] Hor. *Carm.* iii. 11. 39.

[4] William Q. Orchardson, R.A.

[5] Sir William Turner, F.R.S.

[6] William Watson Goodwin, Professor of Greek at Harvard.

[7] Henry Sidgwick, Litt.D. (Cantab.), Professor of Moral Philosophy at Cambridge.

[8] Edward Maunde Thompson, LL.D., Librarian of the British Museum.

[9] Hor. *Carm.* iv. 8. 18.

[10] Henry Morton Stanley, the explorer, who came to the Encaenia accompanied by his bride.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXII[DO] MENS. IVN. MDCCCXCII

IVCVNDVM est munus, Academici, nec nimio usu obtritum in sollemnibus his feriis eorum omnium piam commemorationem facere qui de Vniversitate nostra optime meruerint quos quidem si in hoc loco parum conveniat nominatim evocare, tamen satis mihi persuasum habeo ne unius quidem vel pietatem vel munificentiam e memoria nostra aut depositam esse unquam aut deponendam. Hodie vero, ut arbitror, paulo fit difficilius festivae horum comitiorum consuetudin prorsus satisfacere. Etenim languere quodam modo videntur noti Encaeniorum lepores, cum ne media quidem in aestate neque in tanta virorum insignium frequentia diuturnam illam et pestiferam hiemem[1] et dura frigora et caeli intemperiem oblivisci possimus quae neque seniorum infirmitati nec teneris infantiae annis parcebant. Neque profecto inter plurimas mortis imagines quidquam luctuosius invenio quam acerbum funus altissimi Principis, ALBERTI VICTORIS, Ducis Clarentiae, cuius interitum totus fere orbis terrarum proprio quodam maerore prosequebatur. Neque enim solum augustorum parentum et Reginae dilectissimae vicem plorare videbamur; sed auxit doloris amaritudinem ipsius adulescentis bonitas, auxit regnandi iusta exspectatio, auxit ante omnia faustissimi matrimonii decepta spes, et, si fas dicere, hymenaei cantus in neniam conversi.[2] Sunt quoque domi multae res quae timores incertos et dubitationem insinuent. Inter diversos rei publicae ordines invidiosae suspiciones et caeca seditionis murmura. Neque porro adhuc in aperto est quorsum efferri velint operariorum societates, quibus quidem omnino esset

[1] The winter of 1891 and the following spring were most inclement, and influenza was rife in Oxford.

[2] H. R. H. Albert Victor, Duke of Clarence and Avondale (1864-92), was betrothed to the Princess Victoria Mary of Teck.

favendum, si modo aequam sibi libertatem vindicare et iniquam dominorum avaritiam frustrari conarentur. Improbanda autem est commenticia illa libertas quae nihil aliud spectat quam sibi consulere, ceterorum civium rationem habere nullam. Neque possum non vereri ne inter tot melioris aevi indicia, tot utilitates, tot pacis artes repertas, confiteamur oporteat nondum prorsus exstirpata esse feritatis semina. De universa hominum sodalitate et vinculi fraterni robore iactationem ultro facimus; sed iactantibus interdum obvenit tristissimus facinorum nuntius, adeo ut de humano genere aliquando desperandum esse videatur. Etenim admittuntur flagitia quae credibile est non hominum naturam sed potius Tisiphonem ipsam suasisse. Quid? nonne paene inauditi sceleris est paucorum furorem eo procedere ut nihil inausum, nihil reliquerit intentatum, si modo caecum sui timorem incutiendo vota insana et odium expleat inexorabile? Vbinam quaeso gentium antehac factum est ut in plena pace, in mediis urbibus, sedulo operentur officinae ubi nefanda parentur incendia et fulminei ignis formidines,[1] quae civibus innoxiis necem minitentur? Quippe a nefariis percussoribus nuper est edicto sancitum, nec legum auctoritatem quidquam valere nec ius mancipii nec religionis sanctitatem. Quam quidem dementiam, ne tribus quidem Anticyris sanabilem, lictoribus et securi procurandam esse consentiunt fere omnes.

Inter eos quos nuper sibi abreptos maeret Academia nollem equidem silentio praeterire mitem et amabilem senem, EVAN EVANS,[2] Collegii Pembrochiae per annos xxvii magistrum, summae humanitatis virum, aequalibus suis ac iunioribus aeque acceptum. Nec quemquam pia recordatione digniorem reperio quam GEORGIVM NOEL FREELING,[3] non modo Mertonensibus suis dilectissimum sed ceteris quoque omnibus, quicunque sinceram morum simplicitatem,

[1] Infernal machines and bombs.

[2] Dr. Evans, D.D., Master of Pembroke College and Canon of Gloucester; Vice-Chancellor 1878–82.

[3] George Noel Freeling, M.A., Senior Fellow and Chaplain of Merton College; Hon. Canon of Christ Church (1830–92).

indolis candorem, vitae innocentiam noverant. Dulcem animam omnes amici—inimicos enim habuit nullos—havere atque valere iubent. Neque ignarus sum quantum sui desiderium Keblensibus iniecerit WILHELMVS HEATHCOTE CAMPION,[1] subita morte ereptus; benigni ingenii vir et notae integritatis, qui plurimis atque operosis negotiis ipse occupatus, et inter discipulos suos discendo pariter et docendo intentus, tamen adeo benevolentia abundabat, ut neque temporis neque laboris dispendium vel minimi haberet, dum modo aut indigentibus lucem adferret aut miserorum consuleret utilitatibus. His accedit pari luctu deflendus EDVARDVS AVGVSTVS FREEMAN,[2] Historiae Modernae Professor Regius, quem necopinato morbi accessu in longinquo Hispaniae oppidulo emortuum deplorant non solum Oxonienses sed tota fere litteratorum res publica. Cuius quidem haud scio utrum magis indefessam industriam ac diligentem antiquitatis indagationem admirari debeam, an sagacitatem acutam et exactam accurationem. Nunquam enim satis ducebat in conscribendo plenam gestorum memoriam tradere; immo vero omnium rerum fontes et exitus exquirere maluit, unde orirentur cuncta et quo spectarent scrutatus, quaque inter se necessitudine coniungerentur, ita ut in rebus historicis veram philosophandi rationem posteris relinqueret. Habuit fortasse in suo ipsius iudicio ac certa persuasione tantum fiduciae collocatum ut ceterorum opinionibus paulo iniquiorem se aliquando praestaret, adeo controversiarum appetens ut rarissime a proelio prius discederet quam rapta ab hoste tropaea constituisset. Erat tamen suorum amantissimus, studiosissimus Academiae, nec facile erat secundum illi quemquam aut proximum invenire qui tanto muneri succedere deberet. Neque eo tamen minus benigne a nobis excipiendus est vir insignis IACOBVS FROUDE,[3] in litterarum studiis haud spernendus auctor, qui quidem Collegii Orielensis

[1] W. H. Campion, M.A., Tutor of Keble College.

[2] E. A. Freeman (1823–92), M.A., Hon. D.C.L., Regius Professor of Modern History 1884; Fellow of Oriel College: died of small-pox at Alicante.

[3] James Anthony Froude, M.A., Fellow of Exeter, and afterwards of Oriel College, Regius Professor of Modern History 1892.

quinquaginta fere abhinc annis alumnus, nec veterum simultatum tunc temporis inexpertus, iam tandem in sui ipsius Collegii societatem et Professoris Regii cathedram multa cum laude redit. Neque, ut opinor, vel iuventuti nostrae vel senioribus displicebat summi ac diserti viri versatile ingenium, vis oratoria, verborum nitor et copia, eloquentia paene forensis, cuius in scriptis vivit vigetque rerum gestarum memoria veluti descripta tabella. Summi viri, HENRICI GEORGII LIDDELL,[1] absentiam deploramus, quem tamen nobis non utique dura mortis condicione amissum esse gaudeo. Integris adhuc viribus a principatu se abdicare ultro constituit ne fortasse propter octoginta aetatis annos officio suo deesse videretur. Admiramur profecto singulare pietatis ac pudoris exemplum, neque tamen eo minus desiderabimus sanum in deliberando consilium et raram in agendo sagacitatem; nec fieri potest quin saepius nobis Oxoniensibus in mentem veniat decora viri species, augusta proceritas, vultus maiestas, canities venerabilis.

Vixdum conticuerunt strepitus illi et clamores qui apud nos de statua educenda exorti sunt. Causa autem tumultus insolentior quam ut omnino a me praetermittatur. Etenim postquam primarii quidam viri, Romanae fidei fautores, Cardinalis venerandi Ioannis Henrici Newman[2] effigiem marmoream ponere studentes, a decurionibus nostris in media urbe locum depoposcerant, ii autem paulo inconsultius licentiam dederant statim exardescit acerrima altercatio, aiiis decurionum temeritatem improbantibus, laudantibus aliis. Erant enim quorum mentibus obversaretur sincera viri pietas, singulare ingenium, vitae simplicitas; erant autem complures qui de superstitione perfidia inconstantia streperent. Equidem ut procerem agnosco et bene merenti debitos honores libenter concedo, ita nolebam

[1] The Very Rev. Henry George Liddell, D.D., b. 1811. Dean of Christ Church 1855; resigned the post 1892.

[2] The Newman Memorial Committee sought from the City Council a suitable spot on which to erect a statue of his Eminence Cardinal J. H. Newman. The Council was not unwilling to grant a site; but so much hostility was shown to the scheme that it had to be abandoned.

vim inferri tot civibus invitis quibus Danai et dona ferentes timori erant. Equidem nequaquam instaurari vellem consuetudinem pravam quae nostrae urbis ambulationes amoenas hodiernis sculpturae monstris stipare suaderet.

Ineunte vere apud nos Oxonienses magno cum plausu acta est 'Ranarum' fabula.[1] Spectabant seniorum centuriae, spectabant iuvenes docti simul et indocti,

quos cultae decet adsedisse puellae,[2]

hae enim ipsae cuneos implebant, Graecos versus aut versionem Anglicam sedulo perlegentes. Sed ex fulgore fumus! quippe theatrum ipsum paucis post diebus, vel ob histrionum ardores, vel propter fervidam poetarum dimicationem et vibratas a Mystis faces, tantos calores concepit ut flamma ingens erumperet, quae cum pulpita, velarium, orchestram consumpsisset nec Ranis insontibus parcebat, nec cadaveris feretro, nec Charontis cumbae: et, quod credibile est, Euripides ipse in medio incendio *ληκύθιον ἀπώλεσεν.*

Septimus annus agitur ex quo Patres Conscripti qui nunc sunt in curiam sunt vocati,[3] quo fit ut secundum legem senatoriam fusos iam nunc evolvant Parcae nec quidquam Lachesi supersit quod torqueat. Itaque dimisso senatu vehemens mox arsura est contentio. Promulgantur comitia: prensare, circumire, polliceri petitores. Necdum satis constat quibus potissimum lenociniis captanda sint populi suffragia. Hic quidem rustico exspectanti tria iugera proponit non sine boum mugitu: hic operariorum laboribus salva mercede octo horas praescribit: hic sitientibus vini usum interdicit ut severa virtute superbiant aquae potores: hic ecclesiae expilationem aut vectigalium remissiones promittit. Quod si Magnifico Seni, qui cum Nestoris

[1] The *Frogs* of Aristophanes was performed by the O. U. D. S. After the last performance the theatre took fire, and great damage was done to the 'properties'.

[2] Juv. *Sat.* xi. 202.

[3] In view of a General Election candidates were beginning their canvass with extravagant promises. Mr. Gladstone saw a panacea for everything in Home Rule for Ireland.

annis Demosthenis facundiam et Gracchorum vehementiam consociavit, fides sit danda, pollicentibus viam obstruit inveterata illa de rebus Hibernicis controversia, quae quo modo sit evasura ne Oedipus quidem divinare possit:

Illic credulitas, illic temerarius error,
vanaque laetitia est, consternatique timores,
seditioque repens, dubioque auctore susurri.[1]

Nec prorsus inauditae sunt armorum civilium minae et fraternae caedis exspectatio—

di meliora piis erroremque hostibus illum![2]

Ad finem propero. Vnum tamen omitti vos saltem, Academici, aegre ferretis. Nam si his Encaeniis proprium videtur veterum beneficiorum memoriam ita repetere et recordari ut recentiorum quoque aestimationem iustam habeamus, publice commemorandam esse constat munificentiam illam qua nuperrime vir excultissimus CAROLVS DRURY FORTNUM[3] pretiosos antiquitatis thesauros in usum nostrum ultro contulit; et ne qua ex parte claudicarent archaeologiae artiumque liberalium studia dignum hoc dono sacrarium instauravit. Tantum restat ut insignibus viris qui hodie sedibus nostris successerunt hospites salutem dicamus maximam. Qui quidem omnes, nisi magno opere fallor, communia nobiscum vota concipiunt fore ut Vniversitati Oxoniensi cuius ordinibus iam nunc fuerint adscripti fausta omnia et felicia eveniant.

[1] Ov. *Metam.* xii. 59.

[2] Verg. *Georg.* iii. 513.

[3] Dr. C. D. E. Fortnum, V.P.S.A., added greatly to the collections in the Ashmolean Museum, and contributed by gifts and bequest more than £25,000 to its endowment.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XX^MO MENS. IVN. MDCCCXCIV

FESTVM diem, Academici, denuo instauramus quo semper moris fuit Fundatorum Benefactorumque piam memoriam repetere, benignitatem laudare, et, quantum fieri possit minoribus imitandam proponere. Neque tamen a me exspectandum erit vel regum vel primariorum virorum longum quasi indicem constituere, aut quae quisque ad usus nostros contulerit, eorum omnium mentionem hodie facere. Illud tantum cavendum esse censeo, ne quis posthac ingrati nos animi arguere possit, quod praeclaras facultates a maioribus acceptas parvi habere videamur. Sollemnis igitur atque publica harum rerum commemoratio eo magis fieri debet quo ea plerumque est hominum levitas ut praeteriti temporis citius obliviscantur, et dum patronorum innituntur beneficiis suae ipsius fortunae fabri esse glorientur. Id quoque in his praesertim temporibus in primis est curandum ut lautissimam hereditatem caute ac sapienter adhibeamus, quae quidem contra invidos atque malevolos obtrectatores sola atque certa fit defensio. Haud enim ignorare possumus seditiosos exstare homines, non solum apud infimam plebem verum etiam in senatu, qui, novarum rerum avidi et vulgi suffragia aucupantes, divitum bona publicare appetunt et tanquam in medium ferre. Quibus, credo, nihil acceptius esse videatur quam tantas invidiae tempestates in Vniversitatem pariter atque in Ecclesiam excitare ut de fortunis utriusque ceterisque privilegiis spolia ultro faciant.

Huius modi consiliis, ut spero, universam optimorum hominum opinionem securi licet opponamus si modo facultates nostras recte administrare, si copias liberaliter impertiri, si propria commoda merentibus patefacere vel (ut verbo quasi uno rem totam concludam) si nostris nos Fundatoribus dignos esse demonstrabimus. Quod si grato

animo quae quantaque excepimus recordamur, fieri non potest quin ea quoque quae amisimus vero luctu commemoremus; praesertim cum graviorem esse summorum virorum iacturam quam divitiarum arbitremur. Nunquam antea, quoad scio, Oratori Publico obtigit uno eodemque die par nobile Professorum deplorare quorum alter studiis Graecis Latinis alter erat praepositus. HENRICVM NETTLESHIP,[1] litterarum Latinarum Professorem, Collegii Corporis Christi olim Scholarem, vellem equidem collega collegam debito honore prosequi, amicitiae et commilitii non immemor dum Lincolniensium Societati adscriptus iuventuti instituendae per decem annos singulari successu se dabat. Ingenium viri candidum, iudicium sagax, raram adsiduitatem, accuratam sermonis Latini notitiam ultro adgnovit tota litteratorum res publica: neque is erat cuius mens philologiae argutiunculis defossa inhaerere posset; immo vero ita se subtilitatibus immiscebat ut clari aliquid inde expromeret. Illustrem alumnum maeret Academia, amicum amici desiderant. Litterarum Graecarum Professorem Regium, BENIAMINVM JOWETT,[2] Collegii de Balliolo per annos duodetriginta Tutorem, per duo et viginti Magistrum, quis est qui nesciat? Cuius praeconia cum celebrare coeperim, incertus haereo utrum prius recolere debeam quantam quamque indefessam sedulitatem ad Academiae negotia conferret, quo studio totam examinationum rationem reficere, quanta liberalitate commoda nostra pauperioribus impertiri eniteretur; an simultates istas recenseam quibus vir insignis ac verae religionis amore instinctus ab iis exagitaretur quibus parum placeret liberior opinio et Socratica quaedam res omnes explorandi et discutiendi libido. Dixerim quidem illum Socratis illius discipulum qui teste Tullio[3] philosophiam devocavit e caelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit. Id quod sua ex parte non sine laude effecit Professor noster,

[1] Henry Nettleship, M.A. (1839–93), Fellow of Lincoln College 1861; Corpus Professor of Latin 1878.

[2] Benjamin Jowett, M.A. (1817–93), Fellow, Tutor, and Master of Balliol; Regius Professor of Greek 1855; Vice-Chancellor 1882.

[3] Cic. *Tusc. Disp.* v. 4. 10.

qui studio philosophiae, antiquitatis amore imbutus de nostratibus philosophis optime est meritus, gravissimos sermonis Graeci auctores convertendo et interpretando, ita ut quidquid finxerit Plato, quidquid narraverit Thucydides, quidquid denique de civitatum ratione docuerit Aristoteles, omnibus patrio sermone lectitare, intellegere, meditari, in promptu sit. Sed tamen tantam tamque fructuosam scribendi laudem nescio quo pacto praestrinxisse videtur ipsius viri consuetudo atque ingenium. Namque ut publicas virtutes, industriam, constantiam, sedulitatem propense admirantur ceteri, ita vitam interiorem ac veram indolem vel magis adgnoscunt Balliolenses, qui unice sunt experti qualem se in Collegium suum gesserit, quippe illic patriam, illic domum, illic delicias, illic quasi Sirmionem suum habere videbatur. Nec possum non recordari ipse, quam diu inter Balliolenses commorabar, egenorum patronum, aegrotantium fautorem, discipulorum patrem simul et magistrum, nunc consilio efficaci, nunc praecisis sententiis, nunc lepido sermone, nunc terribili silentio iuniorum animos penitus excutientem; quo factum est ut omnes amabili quadam dominatione regeret ac moderaretur. Quid plura? Nemo aut Academiae observantior aut suis acceptior dum vivebat; nec quisquam aut luctu graviore aut frequentiore amicorum pompa est elatus.

Id quoque aegre fero quod denuo Balliolensium vicem dolere oporteat, quibus et Magistrum suum deflere contigerit simul et Visitatorem; alterum plenum annis ac laboribus paene defunctum, alterum tempestivam modo maturitatem adsecutum et summis honoribus ac titulis cumulatum. Subit animum iucundissima CAROLI BOWEN[1] recordatio, quocum ego ipse studiorum communitate et hilari sodalicio quondam fui coniunctus. Quantam spem in optimo illo iuvene collocavimus aequales, quantum successum augurari, quanto amore prosequi gaudebamus. Lectissimo illi atque ornatissimo adulescenti, omni lepore ac venustate adfluenti, Musis amico doctrinaeque studiis dedito, nihil fere aliud denegaverat natura nisi longum vitae spatium. Dederat sane miram ingenii celeritatem, dederat

[1] C. S. C. Bowen M.A. (Lord Bowen), 1835-94, Hon. D.C.L., Scholar, Fellow, and Visitor of Balliol College.

facundiam, urbanitatem, elegantiam, ita ut nemo fere in iudiciis aut causas melius orare aut leges posset luculentius interpretari. His accedebat summa humanitas ac mores suavissimi, nec verborum gratia deerat nec sermonis festivitas, seu scribendo vacaret sive cum sodalibus colloqueretur. Sed ut iniquo temporis spatio praecludor quominus alios quoque debita laude adficiam, ita non prorsus indictos relinquere deceret aut EDMVNDVM FFOULKES,[1] Ecclesiae Beatae Mariae Virginis diu Vicarium, quem ne extrema quidem senectus nec valetudinis infirmitas a studiis theologicis detrahere poterat; aut GEORGIVM ROMANES,[2] nostrae Vniversitati nuper adscriptum, naturae arcana scrutari ausum ipsamque tanquam interrogare—

quo motu genitalia materiai
corpora res varias gignant genitasque resolvant.[3]

Ad laetiora non invitus transeo. Sunt qui putent Academiae gratulandum esse, quae vegeto quodam vigore imbuta nihil operosum detrectet, nullis se difficultatibus imparem esse fateatur. Aere alieno demersa novas impensas temere facit, novis se necessitatibus obstringit. Museis nostris et glyptothecis vastae adiunguntur accessiones: quaque nuper intrantibus obtutum circumscribebat paries—

apparet domus intus et atria longa patescunt.[4]

Beatae Mariae Virginis Aedem, caementicio putri labefactatam, cratibus contextis et tenui tibicine fultam cernimus;

descendunt statuae restemque sequuntur.[5]

Interea de forma et figuris turriculorum atrox certamen, aliis alia suadentibus; nec quisquam pro certo habet utrum architecti opinionem sequi debeat, an argutiunculas illas quascunque 'ingratae dictarit Caseus urbi'.[6]

[1] Edmund S. Ffoulkes, B.D., Jesus College, Vicar of St. Mary's, Oxford.

[2] George John Romanes, M.A., F.R.S., Caius College, Cambridge, and Christ Church, Oxford. The Romanes Lectureship was established in 1891.

[3] Lucret. ii. 61. [4] Verg. *Aen.* ii. 483. [5] Juv. *Sat.* x. 58.

[6] Verg. *Ecl.* i. 35. Professor *Case* had thrown himself with characteristic energy into the 'Battle of the Pinnacles', and discussed with great minuteness the particular curves which had ruled, or ought to rule their shape.

Iam ne quis impendio deesset aditus, Litterarum Anglicarum Scholam[1] elaboraverunt illi qui novis rebus semper favent; quam quidem virginibus puerisque acceptiorem fore exspecto quam aerario nostro utiliorem.

Gratulor iuventuti nostrae quod nuper Cantabrigienses cum in naumachia tum in pancratio devicerit. Quae quidem res ne fortasse hoc loco parum digna esse videatur, animadvertendum est nationem universam in eo consensisse ut caeca quadam veneratione athletarum genus adoret.[2] Itaque sive adiutores sibi quaerunt scholarum archididascali, sive alumnos adsumunt Collegia, non utique cum Iuvenali dixerim de moribus atque ingenio ultimam fieri quaestionem; illud tamen confitendum est nosmet ipsos dum ceteras adulescentium virtutes admirari adfectamus, toros lacertosque petentium furtim contemplari, et quae quisque ferat niceteria adnumerare. Cuius quidem insaniae ne nostrae quidem mulierculae omnino sunt expertes, quae, cum multa alia puerorum ludicra sint imitatae, inusitatum nuper spectaculum ediderunt, dum 'pedibus rotarum subiiciunt lapsus',[3] et ferro volatili equitantes passos crines, succinctas vel fluitantes vestes teretesque suras populo inhianti proponunt.[4] Adeo autem in animos iuniorum irrepsit

haud dubius furor et manifesta phrenesis[5]

ut iam diu inveteraverit consuetudo victorias phaselorum certamine reportatas non solum poculis et comissationibus celebrandi, sed etiam incendiis et saltatione fanatica; unde venit in mentem Maronis illud—

medium freti pietate per ignem
cultores multa premimus vestigia pruna.[6]

[1] The preamble of the Statute establishing a School of English Literature was, after long controversy, carried on May 1, 1894, by 120 votes to 46.

[2] The extravagant cult of athleticism had hardly left uninfluenced either schoolmasters or college authorities.

[3] Verg. *Aen.* ii. 235.

[4] The use of the bicycle by ladies was in its infancy.

[5] Juv. *Sat.* xiv. 136.

[6] Verg. *Aen.* xi. 788. 'Bump-suppers' followed by bonfires, fed with College

Quod si incendio fomes ac ligna defecerint, adstat temulentus puer 'pingue super oleum fundens': alii autem cubiculorum postes ferro adgressi haud dubitant tabulas trabes mensas subsellia ceteraque flammarum elementa coacervare. Statim duplicantur clamores, anhelat ignis, rubet caelum. Mox accursant excubiae[1] nocturnae et vigilum cohortes, dispositis hamis et longo fistularum tractu instructae. Pulsant Collegii portas opem invitis obtrudentes. Fit strepitus et utrinque convicia, his introitum postulantibus illis renuentibus. Crastina vero luce cum turbulentissimus quisque crapulam edormiverit, neque aliud stolidae laetitiae exstet monumentum praeter immundos cineres et fenestrarum ruinas, tum demum—

mentem lymphatam Mareotico
redegit in veros timores[2]

instans poenarum exspectatio, cunctis tacite secum rogantibus 'O rus, quando te aspiciam?'[3] Nec diu in dubio res haeret. Confestim fit iudicium et reorum relegatio;

exinde per amplum
mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus.[4]

Vos quoque salvere iubeo, Doctores, quos iam nunc cum tanto suffragantium strepitu et honore adfecimus, quem quidem haud minus vobis iucundum esse credo quam nobismet ipsis decorum. Equidem dum nomina petentium perlego, gratulandum esse opinor Academiae quae hodie non solum insignes suos alumnos novo honore dignos esse censuerit, sed etiam praeclarum ac nobilem senatorem, et Americanae classis praefectum haud minus in litteris quam in re navali exercitatum. His accedunt viri eruditissimi qui tum in rebus publicis tum

woodwork, furniture, and lamp-oil. Leaping through the flames forms an impressive feature of this fire-worship.

[1] The fire-brigade arrives with hose and buckets, but is denied entrance.

[2] Hor. *Carm.* i. 37. 14. Next morning brings with it a sentence of 'rustication' on several ringleaders; for a shorter or longer time—or for good.

[3] Hor. *Sat.* ii. 6. 60.

[4] Verg. *Aen.* vi. 743.

in artibus etiam ingenuis laudem sibi pepererunt,[1] nec mihi quaeso invidete, Academici, si mea ipsius ex parte ARTVRO PALMER, in Vniversitate Dublinensi Oratori Publico, salutem impertiar quam plurimam, tantum precatus ut inter contionandum benevolis semper utatur auditoribus, neque elegantiorem unquam Latinitatem expromat quam quae a virginibus puerisque intellegatur!

[1] The Hon. degree of D.C.L. was conferred on the Earl of Kimberley, K.G.; Bishop Creighton of Peterborough; the Right Hon. Sir Horace Davey; the Right Hon. Sir Edward Fry, F.R.S.; Captain A. T. Mahan, U. S. Navy; Émile Boutmy, Member of the Institute; Arthur Palmer, Public Orator in the University of Dublin; W. M. Ramsay; John Henry Middleton; Professor D. Mendeleef; and Francis Galton, F.R.S.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXIV^TO MENS. IVN. MDCCCXCVI

NNO redeunte, Academici, festus agitur dies et magna spectantium frequentia sollemnia instaurantur Comitia, ubi suffragiis vestris proposita sunt virorum primariorum nomina et plausu unanimo accepta. Quae res et nobis ipsis honorifica est et claris hospitibus, ut opinor, haud ingrata. Vos autem, viri illustres, postquam domum redieritis fieri non poterit quin quisque secum reputet qualis et quam mira fuerit ista Convocatio quae novos sibi cives hodie adsciverit. Etenim quidquid usquam est vel gravitatis vel sapientiae, quidquid scientiae et humanitatis, id omne senatoribus nostris et professoribus inesse censebitis: quidquid porro aut diligentiae usquam est aut desidiae, quidquid decori aut iocosi, horum omnium exemplum in iuventute nostra habebitis. Sin autem ad pulchritudinem, venustatem, gratiam sit respiciendum, matronarum ac puellarum frequentiae acceptum referetis, quae virilem conventum praesentia sua et mille vestium coloribus ornare dignatae sunt. Quod si civium novorum accessione hodie gaudemus, non possumus non recordari alumnorum insignium ordinem qui primum civitatem Academicam constituerint et constitutam adauxerint. Fundatoribus nostris atque benefactoribus ut grates perpetuae nullo non die sunt agendae, ita praesertim his Encaeniis piam commemorationem quotannis redintegrare moris fuit. Credo equidem munificos ac liberales viros, qui tot tantisque utilitatibus rem publicam nostram cumulaverint, non praesenti tantum commodo consulere sed exemplum posteris imitandum praestare voluisse. Itaque piam maiorum liberalitatem etiam huic aetati commendare enixe cupio: non quod adeo sum ingratus ut beneficia recentiora parvi faciam, verum tamen si debito Academiae officio hodie sit satisfaciendum, novi cotidie sumptus suscipiendi nova obeunda sunt munera. Qua-

propter si inter alumnos nostros inveniendus erit aut Gyges[1] πολύχρυσος aut Croesus aliquis aut Ptolemaeus aut Maecenas alter, haud dubitarem viro tam beato subicere nunquam alias optabiliorem exstitisse vel liberalitatis vel pietatis occasionem. Apud ignaram plebem, hominum invidiosorum mendaciis obnoxiam, Vniversitas nostra praedives et otiosa habetur. Oculis vulgi obversatur commenticia quaedam species Procancellarii nostri Sarrano effulti ostro et poculo gemmato Setinum bibentis: obversatur sociorum et tutorum imago congestis undique saccis et auro defosso indormientium. Quod si huiusce modi calumniatoribus copia modo fieret Academiae Collegiorumque rationes excutiendi, quam incredibilem opinionis demutationem subirent! Pro divitiis paupertatem honestam, pro vectigalium abundantia attenuatos praediorum reditus invenirent et colonorum conturbantium tristes querimonias; adeo ut verendum sit ne Collegiorum socii, patresfamilias iam dudum facti, eo descendere aliquando cogantur, ut, Megarensis[2] esurientis artificium imitati, filiolas suas porcellorum unguibus instructas parvo vendant pretio: nisi forte filiolae (quod in his temporibus veri similius esse suspicor) suos ipsarum patres venum dare maluerint.

Iam vero si hodie novis civibus adscriptis ultro gaudeamus, non possumus non deflere hominum amicissimorum iacturam quos nuper e civitate nostra mors abstulerit. Ex Aede Christi decessit par nobile virorum, quorum alterum CAROLVM HEURTLEY,[3] Dominae Margaretae Professorem Theologicum, deploramus, memoriam gratam repetentes mitis ac pacifici senis, annis pariter atque pietate venerabilis, priscam ob simplicitatem et sinceram sanctitatem admirandi. Alterum EDVINVM PALMER[4], Collegii de Balliolo diu Socium

[1] The names of millionaires in ancient history.

[2] The starving Megarian in the *Acharnians* of Aristophanes (l. 764 foll.) offers for sale in the market his little daughters, disguised with snouts and hooves as pigs.

[3] Charles Abel Heurtley, D.D., Canon of Christ Church. Lady Margaret Professor of Divinity 1853.

[4] Edwin Palmer, D.D., Canon of Christ Church. Corpus Professor of Latin 1870.

ac Tutorem, deinde Archidiaconi titulo ornatum et in Societatem Aedis Christi receptum, maeret Academia, maerent amici et collegae. Mihi quidem ipsi contigit experiri qualem se quondam discipulis suis praestaret, quam in docendo sedulum, in iudicando promptum et sagacem, in explicando clarum atque expeditum. Nec postquam ad nova se munera et rei ecclesiasticae curam contulisset, aut iuris peritiorem quemquam aut consilii certiorem invenires. Quod si observantiam atque admirationem evocare viderentur tot tantaeque ingenii dotes, fieri non poterat quin omnium caritatem conciliaret ipsius viri virtus atque innocentia. Illustrissimo fratre[1] fratrem haud indignum desiderio prosequuntur omnes. Paucis his diebus provecta aetate occubuit IOANNES FISHER, Collegii Beatae Mariae Magdalenae per annos sexaginta socius, tanto suorum, tanto loci amore imbutus ut nusquam alibi sedem ac domicilium habere curaret, vir antiqui moris, comitatis benignae, hospitibus, amicis, necessariis acceptissimus; venandi studio et vitae rusticanae deditus; idem in omni humanitate et litterarum consuetudine ita est versatus ut nemo fere collegis atque familiaribus carior esse posset, qui eum tanquam patrem et patronum societatis suae venerabantur. Eodem fere tempore sed integris viribus et medios inter labores nobis abreptus est EDVARDVS ROSS WHARTON, Collegii Iesu socius ac tutor, domus Carthusianae alumnus insignis. Nec quisquam, credo, vel ad cognitionem philologiae subtilius contulit ingenium vel intimas linguarum rationes acriore iudicio exploravit. Brevi atque conciso sermone multum quam multa loqui malebat, quo factum est ut in disceptando pariter atque in deliberando grave viri consilium auctoritatem semper summam habere videretur. Ab amicis unice dilectus, a doctissimo quoque reverentia observatus, 'multis ille bonis flebilis occidit.'

Iuventute nostra ante hos paucos menses solito atque usitato more amica cum Cantabrigiensibus proelia ineunte ita ut in pancratio uno tantum puncto devicti ex nautico certamine victoriam

[1] The first Earl of Selborne (Right Hon. Roundell Palmer) b. 1812; Lord Chancellor 1872, 1880.

reportaverint paene inexspectatam, placuit Atheniensibus, seu lucri appetentibus seu veteris gloriae studiosis, Olympiacae[1] palmae praemia athletis denuo proponere. Sed tamen in antiquo illo stadio ne mentio quidem huius Vniversitatis fuisset facta, nisi casu felici e Collegio Novo evolasset Dircaeus quidam cycnus, et 'per audaces nova dithyrambos verba' devolvisset ita ut stuperent omnes auditores Pindarum revixisse rati. Quapropter honorifice salutandum esse censeo disertum iuvenem e regione nostri sedentem, Apollinari ob virtutes donatum laurea, quam quidem doleo eum hodie domi reliquisse, neque secum attulisse ut exspectatae recitationi inserviret.

Ad res domesticas transeo. Ineunte anno civitas Oxoniensis non morbo quidem sed morbi metu graviter est affecta. Itaque ne variolarum[2] contagio laborarent, iuvenes nostri medico venam committere sunt ausi, qui cum semel 'rem acu tetigisset' adspiceres athletas prae terrore exsangues delabi, deinde bracchio lanis fasciisque obvoluto sodalium propinquitatem reformidare. Mox e vicinis oppidulis nuntiatum est canibus blandis rabiem incidisse. Nec mora: aediles nostri, quo melius consulant 'imbellis iuventae poplitibus timidove tergo', catulos vel custodiae mandant vel ad necem ducunt vel 'ferratis praefigunt ora capistris'.[3] Quae quidem cautio utrum istam rabiem exacerbatura sit an sedatura parum liquet. Atqui scio quantam mihi invidiae tempestatem sim suscitaturus si furtim modo et quasi occulte submoneam novarum rerum fautoribus veram nuper irrepsisse rabiem, dum puellis 'propria quae maribus' munera efflagitantibus stimulos subiciunt. Nulla res unquam post natos

[1] The Olympic games were held in Athens in the spring of this year, but the organization was so far from perfect that no official invitation reached Oxford or Cambridge in time. But Oxford was not wholly unrepresented, for Mr. G. S. Robertson, a famous scholar and prizeman of New College, appeared in the Stadium and recited an appropriate Pindaric Ode in Greek, receiving as a prize a laurel bough and a scarf pin. Mr. Robertson, who had gained this year the prize for the Latin Essay, was seated in the Sheldonian Theatre opposite to the Public Orator, who regretted the absence of the laurel bough as a proper adjunct to the prizeman's recitation.

[2] Small-pox scare and vaccination.

[3] Muzzling order for dogs.

homines tanta tamque acria studia Academicis intulit, aliis postulata strenue commendantibus, aliis ut intempestiva et noxia reprobantibus. Neque tamen ferro aut fustibus res est peracta, sed, Sibyllae[1] exemplum secutus, pro se quisque

fata canit foliisque notas et nomina mandat.

Nec 'periturae parcere chartae' quisquam curabat dum modo vel vaticinia tristia vel argumenta vel rationes vel dicteria vel facetias vel cavillationes vel merum livorem litteris consignare posset. Res ad senatum refertur: in sententiam discedunt patres: rogatio antiquatur. Quo fit ut in hac Vniversitate uterque sexus tenui discrimine paulisper dignosci possit. Quod de hac lite posteritas sit iudicatura ne augurari quidem audeo.

[1] The Voting on Degrees for Women came on in Congregation on March 3 and 10, 1896. The Cumaean Sibyl who consigned her prophecies to loose leaves (Verg. *Aen.* iii. 444) is taken as the type of the fighters on the Women's Degrees who filled the whole place with fly-sheets.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXII^{DO}. MENS. IVN. MDCCC XCVIII

SAEPE veritus sum, Academici, ne fortasse coram vobis contionabundus a proprio Creweianae orationis proposito paululum declinaverim; et, dum recentiora studiosius capto, antiquitatis memoriam leviter tantum perstrinxerim. Id enim primum omnium curavit patronus noster Nathaniel Baro Crewe ut in annua Convocatione hominum nobilissimorum mentio fieret honorifica, quorum ope et condita est Vniversitas et locupletata. Fortunati erant isti oratores qui ante nos nostra dixerint! quibus saepe numero contigerit splendida vel regum vel procerum dona publice commemorare, et novo quodam ardore eius munificentiae monumenta laudare quae totius orbis moverint admirationem. Velim equidem illis saeculis interfuisse quae Thomam Bodley, Edvardum Comitem de Clarendon, Gilbertum Sheldon, Ioannem Radcliffe pepererint, ceterosque benefactores qui, ut puto, non solum magnificam nobis hereditatem verum etiam posteris exemplum relinquere statuerint. Nos certe quorum oculis in dies obversantur tot tantaque pietatis antiquae indicia fieri non potest ut gratam patronorum recordationem unquam excidere sinamus. Quod si istius hereditatis viget adhuc vigebitque memoria verendum est ne iam dudum obsoleverit exempli vis; quippe falsa inveterascit opinio Academiam Oxoniensem omnibus copiis cumulatam nihilo carere. Quo fit ut huius aetatis Maecenates nova quaedam condere quam veneranda et antiqua instituta fovere ac sustentare malint. Quapropter Honorabili Pannariorum [1] Societati gratiam singularem referendam esse censeo, qui intra hos paucos menses pro sua liberalitate novae Bibliothecae sumptus in usum Vni-

[1] The new Radcliffe Library, built at the south end of the University Museum from the designs of Mr. T. G. Jackson, R.A., is the munificent gift of the Worshipful Company of Drapers. It was formally presented to the University in 1901.

versitatis susceperint. Ad nos quidem Oxonienses, paupertatem nostram et deminuta vectigalia fortiter, ut credo, tolerantes potius quam conquerentes affertur fama in agro Californiensi iam nunc designatam esse Vniversitatem [1] tantis opibus instructam ut vel architectis (prodigo plerumque hominum generi) licitum concessumque sit quidvis aliud facere quam parcere argento. Inter colles amoenissimos in loco editiore ac late maris arbitro ponendum esse credo universae scientiae domicilium et Musarum sedem. Hic ordinanda sunt viridaria arboribus omnimodis consita; hic aedificandae porticus, bibliothecae, theatra, auditoria; huc omnia doctrinae incitamenta, omnium artium instrumenta congeri, huc immensa professorum praelectorumque multitudo confluere iubetur. Vix puto mirandum erit si Academia nostra Menelai verba adhibuerit mutatam domus fortunam maerentis, et opes attenuatas

> *ὧν ὄφελον τριτάτην περ ἔχων ἐν δώμασι μοῖραν*
> *ναίειν.*[2]

Interea tamen si sorte infelici, ut videtur, divitiis et abundantia nobis est supersedendum, tranquillitate quadam ac pace contenti vivamus! Quid si longis navibus et armorum strepitu fervet mare Atlanticum; quid si imperator bellicosus 'pugno cataphracto' [3] Sericas regiones et populum imbellem domat; quid si praedae cupidus 'circumgemit Vrsus ovile'? Hic inter silvas Academi iuvat philosophiae vacare et securum agere aevum.

Vna tantum res quieti placidae brevem perturbationem nuper minitabatur. Credideram equidem immensae examinationum moli summam manum iam dudum esse impositam. Ea autem apud nostrates est rerum novarum cupido ut nuperrime in Congregatione nostra promulgata sit De Re Rustica rogatio, et duobus modo suffragiis antiquata.[4] Hac provisum est ut in Agriculturae Scientia

[1] The Californian University of Berkeley, at San Francisco.

[2] Hom. *Od.* iv. 97.

[3] Visit of German squadron to Kiau Chau; and lease to Russia of Port Arthur by China.

[4] In Congregation on May 17 the form of Statute establishing a Final Honour

examinandos se sisterent alumni et novo quodam aditu ad gradum in facultate Artium proveherentur. Continuo adspicere videbar in Collegio Sanctae Mariae Magdalenae frondosas ulmos[1] in burim flecti aut vitibus maritari; inter vireta et herbosas loci amoenitates pubem nostram nudam arare serere nudam, aut bobus invalidis latices Lenaeos inserto cornu infundere, aut caespitem domesticum fimo pingui saturare, dum reiectis Platone et Aristotele Cererem Liberumque patrem adsidue colunt.

Alia quoque in mentem veniunt quae plectro leviore alias essent tangenda. Obstruit tamen orationis hilaritatem dulcium amicorum memoria quibus amissis lugubrem esse sentio domum nostram. Ineunte anno plorantibus ac desiderantibus suis in Aede Christi compositus est HENRICVS GEORGIVS LIDDELL,[2] quasi fieri non posset ut a propria domo mortuus dissociaretur quam tot tantisque commodis vivus locupletasset. Meministis, Academici (nunquam enim tam nobilis vitae memoria oblivione potest obrui),—meministis quanta auctoritate, quanto vigore per annos sex et triginta Decani officio fungeretur, quibus frueretur amicitiis, quam bene de litteris Graecis ac Latinis mereretur. Meministis miram sagacitatem quam ad negotia tractanda nunquam non adhiberet; meministis raram pietatem qua integris adhuc viribus ab officio se abdicare ultro constitueret, ne forte propter octoginta aetatis annos Societatis suae fortunis obesset. Non iniuria tam nobilis viri sepulcro prisca illa verba possem inscribere, quibus L. Cornelii Scipionis memoria servatur:

Honc oíno ploirumé cosentiont Románe
Duonóro optumó fuise viro viróro.[3]

Eiusdem Societatis alumnum pari caritate prosequimur, suavissimum

School of Agriculture was promulgated, and the Preamble thereof rejected on a division. (Placets 45, Non-placets 47.)

[1] The language and the processes described are borrowed from the Georgics of Vergil.

[2] Henry George Liddell, D.D., Hon. D.C.L. Dean of Christ Church 1855; Vice-Chancellor 1870; buried in Christ Church.

[3] From the tomb of the Scipios on the Appian Way.

fabellarum auctorem, virginibus puerisque vix magis quam nobismet ipsis acceptum LVDOVICVM CARROLL,[1] hoc enim nomine notae viri verecundiae obsecutus dixisse malim. Quanto nos omnes gaudio, candida anima, adfecisti dum puellulam innocentem in mystica illa regione te duce sumus comitati, ubi lectorem ludit insania amabilis. Te duce speculi vitrum penetrare licuit; te duce cantilenas ioculares et faceta animalium colloquia audire, vel per lucos errare ubi summa deorsum versari et ipsa rerum natura Circaeas quasdam mutationes subire videantur. Quanta festivitate, quibus salibus, quam subtili elegantia narratiunculas tuas adspersisti,

musaeo contingens cuncta lepore,[2]

ita tamen ut de fonte illo leporum nunquam surrexerit amari aliquid. Nudius tertius elatus est pictor exquisitissimus EDVARDVS BURNE-JONES,[3] Collegii Exoniensis alumnus, quem nuper Academia ad gradum Doctoris in Iure Civili libentem libens adscivit. Quanta gratia, quot veneres cum illo exstingui videntur: quam rara sunt tabellarum argumenta, quippe 'ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinis artem et manum dirigebat'[4]. Paene crediderim abrepto magistro pallidulos fieri colores quibus tanto opere gaudebat, hebescere Veneris Speculum, in Aureis illis Scalis vestigia premere virgines, ipsam vero Pygmalionis Galateam iterum in exsangue marmor refrigescere.[5] Quid vero dicam, quidve indictum relinquam, de sene illustrissimo WILHELMO EWART GLADSTONE,[6] cuius exsequias his paucis diebus totam

[1] Charles Lutwidge Dodgson, M.A., Student of Christ Church: author (under the name of Lewis Carroll) of *Alice in Wonderland*, and *Through the Looking-glass*, &c.

[2] Lucret. i. 933.

[3] Edward Burne-Jones, R.A., b. 1833. Hon. Fellow of Exeter College; Hon. D.C.L. 1881.

[4] Cic. *Or.* 2. 9.

[5] The reference to some of the artist's famous pictures—Venus's Mirror; the Golden Stair; Pygmalion and the image.

[6] William Ewart Gladstone, b. 1809, M.A., Hon. D.C.L. Student of Christ Church, Hon. Fellow of All Souls College. Burgess of the University 1847-65. Died May 19, 1898. Buried in Westminster Abbey.

nationem Britannicam aut praesentia aut saltem desiderio atque reverentia prosequentem videbamus? Fieri quidem nullo modo potest ut in oratione brevi copiosam omniumque rerum abundantem vitam illius viri complectar, quo exstincto ipse orbis terrarum inopiam aliquam egestatemque pati videtur. Aliorum erit vastam gestorum materiem annalibus nostris committere; aliorum erit exponere quantam in senatu, quantam in contionibus auctoritatem ipsa vi eloquentiae ac veterana experientia arripuerit; quas leges promulgandas antiquandas curaverit; qua sollertia res aerarii tractaverit; quo studio universae libertatis exstiterit adsertor, ita ut aliis patriam amplificare, aliis in discrimen adducere videretur. Nobis autem Oxoniensibus ac praesertim Aedis Christi alumnis accedit domesticus dolor et vix consolabilis, ornamento, patrono, amico orbatis, qui in novissima vitae hora caritatem summam atque benevolentiam erga Almam Matrem suam est testificatus. Recordari iuvat quo successu ad summos honores in hac Academia sit provectus, quam impense inter publicos labores litteris ita incubuerit, ut Scipionis iactationem sibi adsumpsisse videretur qui dicebat nunquam se minus otiosum esse quam cum esset otiosus.[1] Tantam vero sui fiduciam, tam fixam vel in re ancipiti opinionem habebat, tanta obstinatione adhaerebat proposito ut, dum compluribus persuadebat, non posset non controversias excitare graves. Quis autem est vel adversariorum quin vividam ingenii vim et facundiam praepotentem adgnoscat, aut incredibilem constantiam ac mentem sibi consciam recti admiretur, quam neque minae neque pericula neque sollicitationes neque ambitio possent corrumpere? Cum autem errare sit humanum, mihi persuasum est ipsis huiusce viri erroribus nobilitatis aliquid nunquam non subesse, qui, quidquid vel publice ageret vel privatim, menti obversatam haberet perfectam iustitiae virtutisque imaginem, quam et ipse consequi et ceteris commendare studeret; neque id tantum philosophorum praeceptis sed legi divinae ac purae religioni obsecutus. Constat enim in longo vitae curriculo quasi lumen aliquod elucere sanctitatem viri et certam spem in Dei providentia repositam, quae

[1] Cic. *De Off.* iii. 1. 1.

neque in morbi cruciatibus neque ipsa in mortis hora deficeret. Quid multa ? Liceat mihi, ut cetera omittam, Taciti verba adferre Agricolae soceri obitum deplorantis : 'Si quis piorum manibus locus, si non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius quam temporalibus laudibus, et, si natura suppeditet, similitudine decoremus : is verus honor, ea coniunctissimi cuiusque pietas . . . Quidquid ex hoc viro amavimus, quidquid mirati sumus manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, in fama rerum.'[1] Huic praeconio nihil est quod temere addam.

[1] Tacit. *Agric.* 46.

ORATIO CREWEIANA IN SCHOLA THEOLOGIAE HABITA DIE XXVII^{MO} MENS. IVN. MCM

ORATORI vestro plerumque contigit, Academici, de nullis aliis rebus nisi de Academiae statu atque artium ingenuarum proventu apud gentem togatam in Theatro Sheldoniano contionari. Vereor autem ne hodie nova atque inusitata rerum species mentibus vestris obversetur, nempe

Anglia Barbariae lento collisa duello.[1]

Mitto equidem istas disceptationes quas nonnulli de belli causis protulerint; mitto vitia illa quae vel in praeparando, vel in administrando, vel etiam in pugnando sint improbanda; mitto obtrectationes insidiosas quibus gentes externae odia sua ostentaverint. Tantum libens adseverabo milites nostros ab antiqua maiorum virtute nihil degenerasse. Nemini procul dubio mirum videatur si, adducta in discrimen re publica, iuventus nostra atque evocati milites ad signa ultro convolaverint, pro patria vitam impendere parati. Illud vero quis antehac vel somniavit fore ut coloniarum nostrarum cives, ceteraeque gentes legibus nostris subiectae, sua sponte opem ferentes Britanniae causam susciperent et singulare caritatis specimen parenti suae exhiberent? Quapropter animo propenso equitatus illius levem armaturam salvere iubeo, quae praesertim e regione Canadensi atque ex Australi continente profecta copiis nostris magnum fecit momentum. Neque in his temporibus debito officio defuit Vniversitas Oxoniensis, sive alumnos ad armorum usum cohortando, sive iuventutis florem in aciem emittendo. Quae tamen omnia, ut certam fiduciam et laudem adferunt, ita nobis reputantibus quanto steterit victoria, non possunt non eum incutere dolorem qui huiusce diei solitam hilaritatem et licentiam inhibeat. Quis enim est cuius in mentem non irrepat eorum omnium memoria quos abstulerit atra dies et funere

[1] Hor. *Ep.* i. 2. 7.

acerbo merserit? Quis est quin deploret militum fortissimorum robur aut vulneribus aut morbo confectum? Quis est quin suorum lugubres domos, parentum, coniugum, liberorum, amicorum, sodalium interitum defleat? Itaque etiam si nostrorum victricia arma et summi ducis veteranum in bellando peritiam salutemus, vix tamen ea est rerum condicio quae feriarum celebrationem, nedum levitatem et lepores, patiatur. Ipsa legionum certamina Oceanus dissociabilis et longa terrae spatia ab oculis nostris separant; unde foret exspectandum seram modo de belli fortuna ad aures accessuram esse famam, nisi in horas vox penetrabilis—tacita illa quidem et mutis signis locuta—per marium immensitates, per obices montium ac desertorum, clanculum emissa, vera omnia de pugna ancipiti, de rebus adversis vel secundis, ita prompte divulgasset ut ipsa in acie stare, ipsum proelii strepitum audire videremur. Quam diu inter spem metumque pendebamus, tribus oppidis obsidione diuturna pressis, famem interea, morbum, crebras hostium oppugnationes fortiter tolerantibus! Quanta trepidatione obsessorum fortunas, auxiliantium vix superandas difficultates sequebamur! quanta admiratione constantiam indomitam et virtutem, non virorum modo sed etiam mulierum, excipiebamus.[1]

Sunt qui putent gentis nostrae ingenium nimis esse sedatum, ita ut neque mala fortuna commoveri neque bona exsultare soleat. Aestuare autem ignes suppositos et verum animi calorem quis denegabit, qui nuperrime totius nationis effrenatam viderit laetitiam, civium clamores audierit, duces, exercitum, victricia arma, reginam dilectam salvere iubentium. Nec temere dixi totam nationem, vel potius totam imperii societatem, vehementer laetari, quippe in hoc difficili bello et inevitabili Britannia nostra, quam homines invidiosi amicis carere insolenter iactitaverunt, nunc demum est experta quam firmis adminiculis innitatur ea civitas quae, coloniis suis aequam libertatem impertiendo, fidei et caritatis messem perceperit uberrimam. Constat enim pietatis hoc esse laudabile officium, quae seu in parentes sive in patriam

[1] Ladysmith was relieved on Feb. 28; Kimberley on Feb. 15; and Mafeking on May 17, 1900.

adhibita, virtutum omnium est fundamentum. Cui nullo modo dissimilem esse puto Fundatorum Benefactorumque pietatem cuius hodie debita fit recordatio. Quippe optimi et sagacissimi viri, satis intellegentes commemorationem nominis sui non cum vitae tempore dimetiendam sed cum omni posteritate adaequandam, nunquam dubitabant Almam suam Matrem tot tantisque donis locupletare ut in ea humanitatis universae sedem atque domum collocatam esse gloriemur. Ac vehementer gaudere licet tam commendabilis exempli vim non omnino obsolevisse, quominus hodie apud nos recentioris benevolentiae exstent monumenta. Hic Musei Ashmoleani adaucta moles, illic Bibliothecae Radcliffianae nova aedificatio Pannariorum munificentiam et Caroli Fortnum liberalitatem testantur. Benefactorum quoque numero accedat licet vir ornatissimus AVGVSTVS PITT RIVERS qui nuper hanc Vniversitatem Museo Ethnographico donavit, ubi oculis fidelibus subiecta sunt rara rerum miracula, unde satis intellegi possint ferarum gentium consuetudines et vitae cultioris rudimenta.[1]

Ineunte anno provecta aetate decessit alumnus Academiae illustrissimus IOANNES RUSKIN[2], ex Aede Christi Artium Magister, in his ipsis Comitiis ad gradum Doctoris in Iure Civili, honoris causa, evectus: quem quidem, si propter publicas virtutes toti mundo genitus videatur, domestica tamen necessitudine nobis Oxoniensibus artius esse coniunctum laetamur. Equidem palam confiteor imparem me esse satis idoneum de viro πολυγραφωτάτῳ iudicium ferre, qui ipse de nulla non parte vel artis vel naturae, de universa seu morum sive religionis ratione, iudicium ultro ferre gaudebat. Quotus quisque nostrum est superstes qui eum in Theatro Sheldoniano carmen Anglicum[3] recitantem audiverit? Meminerint autem plures quanto ardore iuventutem nostram ad opera fabrilia incitaverit, vel ad vias in

[1] General Pitt-Rivers, F.R.S., gave the University the unique anthropological collection that bears his name.

[2] John Ruskin, b. 1819. Hon. D.C.L., Hon. Student of Christ Church, Slade Professor of Fine Art 1869–78.

[3] The Newdigate Prize Composition, 'Salsette and Elephanta', recited in the Sheldonian Theatre 1839.

rure suburbano lapidibus muniendas [1]; quantam venustatem praelectionibus suis instillaverit; quanta benignitate novam pingendi scholam in hac Vniversitate fundaverit.[2] Quid autem de ingenio, quid de scriptis dicam? Etenim si ad orationis numeros et verborum elegantem delectum respexeris, detulisse eum 'amoeno ex Helicone perenni fronde coronam [3]' facile credideris; sin ad sententiarum novitatem atque censuram audacem, confitendum est eum Aristarchi vel potius Zoili partes adsumpsisse. Virum insignem, si non omnia recte disputantem, si non semper suis ipsius iudiciis stantem, si 'nimium amatorem ingenii sui' aliquando improbaveris, si generi vatum irritabili adscribendum esse censueris (quippe qui optimo iure vates est nominandus et Musarum interpres); illud certe ab omnibus in laude est ponendum nihil potius in animo eum habuisse quam reverentiam iustitiam sanctitatem inculcare. Quam ob rem iusto desiderio tenemur magistri illustris altiora fortasse petentis quam quae cum degeneri hominum societate possent congruere, et simpliciorem commendantis vitam, quae tum demum esset efficienda cum cives universi, fallacias, iniquitates, pecuniae quaestum ultro aspernati, aetatis aureae imaginem denuo restituere conarentur. Neque silentio praeterierim HENRICVM FURNEAUX [4], e Collegio Corporis Christi, virum in omni recto studio et humanitate versatum et de litteris Latinis optime meritum; neque libens omittam dignissimum senem, IOANNEM CAROLVM RYLE [5] ex Aede Christi, Sacrae Theologiae Professorem, per xx annos Episcopum diligentem et strenuum.

Difficile est in loco inusitato,[6] Academici, et in tenui consessu

[1] Ruskin encouraged his pupils to remake a ruinous piece of roadway at Hinksey.

[2] In Jan. 1872 the University accepted from him £5,000 as an endowment for a Drawing Master in the University Galleries.

[3] Lucret. i. 111.

[4] The Rev. Henry Furneaux, M.A., b. 1828; Fellow of C. C. C. 1854–68.

[5] The Right Rev. J. C. Ryle, D.D., late Bishop of Liverpool, formerly Fell Exhibitioner of Christ Church.

[6] It was ordered that on this occasion the Encaenia should be held in the

orationem habere, ubi neque magna frequentia neque hominum acclamatio, neque praeclarorum virorum praesentia alacrem animo incitationem subiciunt.

Accessit quoque his ipsis diebus amari aliquid et ingrata cladis fama. Namque si in altera terrarum regione bellum iam nunc residere inceperit, in altera autem non sine horrore atque trepidatione audivimus

quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis.[1]

E longinquis Orientis partibus non modo hostiles minas et armorum motum accipimus, sed etiam hominum innocentium necem et domorum incendia, navium longarum fulmineos impetus, capta atque diruta castellorum propugnacula et sanguine undantes portus.[2]

Spero tamen fore ut proximo anno seniorum iuniorumque laeti clamores victoriae concordiaeque commoda in pleno Theatro celebrent; spero fore ut inter eos quos Vniversitas nostra ordinibus suis illo die adscribere voluerit, non modo optimi duces et classium praefecti inveniantur, verum etiam ii qui consilio prudenti incruentam pacis victoriam stabiliverint:

Tu regere imperio populos, Romane, memento;
hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos.[3]

Divinity School. The general mourning consequent on the loss of life in the war in South Africa made the lively scene of the Encaenia in the Sheldonian Theatre unsuitable.

[1] Verg. *Aen.* vii. 223.

[2] Massacres and naval action in China.

[3] Verg. *Aen.* vi. 85.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXV MENS. IVN. MCMII.

ERTIUS agitur annus ex quo in Theatro Sheldoniano celebrata sunt Encaenia, et festum sollemne in proprio domicilio habitum. Quod si omissam laetitiam et solito rariorem hominum frequentiam tunc temporis conquerebamur, maiorem adferebat dolorem istarum causarum cogitatio quae ferias nostras praecludebant. Primo quidem belli detestabilis initium et res non admodum secundae plurimas nostratium familias vestem lugubrem sumere coëgerunt: deinde Reginae dilectissimae funus[1] totam gentem Britannicam—nisi potius dixerim totum terrarum orbem—luctu conficere videbatur et hilaritatem omnem obtundere. Hodie autem et auspiciis laetioribus et in loco usitato Convocatio nostra renovatur. Plusquam xxx menses in longinquis regionibus, quae ab hac insula Oceano dissociabili mirum quantum sunt seiunctae, a terrestribus nostris copiis pugnatum est. Quae res haud scio an unquam a quavis alia gente aut temptata sit aut effecta. Quod si ne momentum quidem temporis a certo proposito deflexerimus vel difficultatibus vel pestilentia vel insidiis vel incredibili impendio deterriti, tamen fieri non poterat quin taedium et tristitiam adferret diuturna dimicatio, cum nemo nesciret quanto nobis stare deberet victoria illa ad quam summis viribus adniteremur. Non huic quidem occasioni convenit militiae illius luctus recolere et virorum fortium interitus enumerare; quae tamen omnia, etiam si hodie indicta relinquamus, in alta mente reposta vivant vigeantque necesse est. Nunc demum post tenebras lucem salutare licet, et genti devictae pacis morem imponere.[2] Huius modi vero pacis proprium est non tantum superbos debellare vel etiam subiectis parcere, sed potius eas deditionis

[1] Queen Victoria died Jan. 22, 1901; and her funeral was on February 4.

[2] Peace was signed at Pretoria on May 31.

leges proferre—non saevas illas quidem aut immites—quae mox ex hostibus amicos, e populo rebelli cives sint effecturae. Deo Optimo Maximo propter felicem armorum eventum pacemque recuperatam gratias agimus quam plurimas: idcirco praesertim gaudentes quod laeto omine Edvardi nostri regnum possit inaugurari. Etenim his ipsis diebus, Encaenia agente Academia et solita habente Comitia, maior etiam pompa et supplicatio alibi est decreta. Immensa illa Vrbs, quam Regni caput nominamus, vastam in se trahit multitudinem. Ab omni fere natione, a distantibus coloniis convolant hospites nobilissimi, principes, primores, proconsules, senatores, delegati, qui cum civibus nostris commixti unanimo plausu et populari acclamatione regem Edvardvm diadema[1] patrium adsumentem ultro prosequantur. Cunctis autem adstrepentibus nulla demum hominum societas vel fidem constantiorem vel studiosius officium praestare poterit quam Vniversitas Oxoniensis, quae totiens et in aliis locis et in hoc ipso Theatro, redintegrata quotannis Fundatorum Benefactorumque recordatione, grato animo commemorat quot quantasque utilitates Regibus nostris acceptas referat Academia. Nec quemquam potest fugere, Edvardi VII^mi titulos recentes perlegentem, diversas Imperii partes nunc demum in unum esse coniunctas et uno quasi nomine appellatas. Quis enim est quin laudibus sinceris extollat Coloniarum nostrarum fidem atque studium in matrem Britanniam collocatum? Vnam atque alteram Cassandram ariolantem audivimus fore ut Coloniae, si quando in discrimine versaretur civitas nostra, veterem necessitudinem et pietatis vincula ultro exuerent et plane sui iuris esse statuerent. Contra autem, externo hoste rei publicae periculum minitante, tanta alacritate, tanto ardore inter se decertant Coloniae quae prior parenti auxilium sit allatura, ut inania illa vaticinia nonnisi ludibrio esse possint. Quo fit ut apud nonnullas nationes homines malevoli, occasus nostri exspectatione deiecti et virium adauctarum invidi, acerbitatis virus evomere nunquam desierint, nunc mendacia conflando nunc probra et spur-

[1] The Coronation was to have taken place on June 26, but was postponed in consequence of the King's illness.

citias in gentem nostram conferendo. Quoniam vero de coloniis mentionem honorificam fecimus, fieri non potest ut navigationem[1] illam silentio praetereamus, qua Imperii nostri heres, Princeps Walliae sagacissimus, in maiore, ut dicunt, Britannia peregrinatus in nulla non parte et benignissime sit acceptus et sibi ipsi patriaeque gratiam summam conciliaverit. Nobis autem homunculis tanto studio pacem appetentibus, eamque aeternam esse et solidam optantibus, tanquam fixae atque immobili terrae consimilem, ipsa Natura pacem non agit neque mundi fundamenta suo semper stare loco sinit. Quanto nuper stupore tristem famam[2] insularum amoenissimarum exitium renuntiantem accepimus! Quanto opere foedam illam vastationem horrescebamus: agros atque urbes incendio obrutas, hominum multitudinem vel ignibus absumptam vel foetore suffocatam, vel fame ac siti peremptam! Redintegrari arbitrabamur antiquas illas clades, et in arva denuo effervere

undantem ruptis fornacibus Aetnam,
flammarumque globos liquefactaque volvere saxa;[3]

dum mons ipse

prorumpit ad aethera nubem
turbine fumantem piceo et candente favilla.[4]

Quo quidem casu ut misericordia commovemur ita nobiscum reputare cogimur 'quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna'.[5]

Ad res Academicas paulisper redeamus. Cum universo fere luctu compositus est Fredericvs Temple Blackwood, Marchio de Dufferin et Ava,[6] Aedis Christi ordinibus adulescens adscriptus

[1] The Prince and Princess sailed on March 16 to visit British Colonies, and returned on November 2.

[2] The eruption of Mont Pelée in the month of May destroyed the city of St. Pierre in Martinique, causing ruin and loss of life in the island.

[3] Verg. *Georg.* i. 472. [4] *Aen.* iii. 572. [5] Cic. *pro Mil.* 69.

[6] Created Marquis in 1888. Governor-General of Canada 1872; Ambassador at Rome 1879; at Constantinople 1884; and in the same year Viceroy of India. Hon. D.C.L. 1879.

et ad gradum Doctoris in Iure Civili, honoris causa, ab hac Academia iam maturior admissus: vir ab omni parte insignis; sollertia, experientia, crebris peregrinationibus cum illo Vlixe comparandus, 'qui mores hominum multorum vidit et urbes', seu foris legationes honorificas et proconsulatus susciperet, seu domi amplissimis in re publica muneribus fungeretur. Alumnum illustrem maeret Collegium Orielense, CAECILIVM RHODES[1]: de quo si non una eademque apud omnes constet opinio in hoc saltem consentire possumus, virum esse confidentiae singularis, tenacissimum propositi, suae ipsius fortunae fabrum, lato prospectu omnia metientem: qui quidem, ut orationem Vergilianam paulo audacius adhibeam,

imperium terris animos aequabat Olympo.[2]

Sunt qui eum saepius ad magna consilia ratione dubia atque ancipiti properare credant, et discrimen potius quam stabilitatem rei publicae nostrae adferre. Negari tamen non potest quin quotienscunque de Africa terra inciderit mentio, strenui huius viri memoria in mentes omnium recurrat, qui id praecipue studeret ut a Nili ostiis usque ad infimum continentis promunturium nulla regio Imperium Britannicum intersaepiret. Quanta autem pietate Collegium suum adamaret, quam persuasissimum haberet nullo vinculo artius inter se colligari nationes quam studiorum communitate, satis declarat mirabile illud testamentum et munificentia plus quam regalis qua complures alumnos a coloniis nostris, ab America, a Germania in hanc Academiam invitare et quasi allectare vellet. Crediderim quoque Socios Orielenses, pontificalibus accubantes cenis et in aedificiis novis luxuriantes, simplicitatis et innocentiae[3] insimulationem leviter esse toleraturos!

[1] The Right Hon. Cecil John Rhodes, b. 1853, Prime Minister of Cape Town 1890, Hon. D.C.L. 1899. Founder of the Rhodes Scholarships in the University of Oxford for students from the Colonies, from America, and from Germany.

[2] Verg. *Aen.* vi. 782.

[3] Extract from Mr. Rhodes' Will—after reserving £40,000 for the erection of new College buildings—'I further direct that the sum of £10,000 shall be held as a fund by the income whereof the dignity and comfort of the High Table

Inter Academiam nostram civitatemque Oxoniensem, quarum mutuam et amabilem concordiam paulo fortasse iactantius venditare soliti sumus, nobis quidem invitis, controversiae causa[1] nuper intercessit, cum urbis decuriones, vectigalium adauctorum appetentes, censum Vniversitatis et Collegiorum novum requirere statuerint. Nos vero, ut officii civilis nullo modo sumus ignari, ita a census ratione inexplicabili adeo dissentimus ut expediri non possit quin res tota ad iudices deferatur: causidicis, ut vereor, uberior messis quam aut Academiae aut municipio.

Abhinc ccc annis primum inaugurata est Bibliotheca illa quam Thomae Bodleii munificentia Academiae impertitam multi alii fautores et patroni libris locupletaverunt. Statuimus ergo in mense Octobri ferias trisaeculares celebrare, convocatis in Oxoniam doctis et illustribus viris ab omni fere terrarum parte, qui hospitio apud nos comiter excepti huius Vniversitatis instituta atque amoenitates adspiciant et admirentur. Inter quos si forte exstiterit Croesus aliquis aut Maecenas alter, fieri potest ut non sine vero dolore adgnoscat opibus nostris, quantaecunque sint, etiam maiores esse necessitates, ita ut, re bene perpensa, et dolori suo et paupertati nostrae remedium adhibere velit. Hereditatem a fundatoribus munificis iam pridem legatam et a ceteris benefactoribus cumulatam, nostrum est diligenter fovere et ad optimos usus vertere. Ecquae autem hereditas officiis multiplicatis satisfacere, ecquae voracem scientiae physicae ingluviem explere, ecquae scholarium adventitiorum postulatis respondere poterit? Sunt qui putent opibus inexhaustis abundare Academiam, quae tamen magnas inter opes inops vix est solvendo. Credo equidem nullam demum occasionem huius modi munificentiae atque liberalitati aptiorem esse posse!

may be maintained . . . And finally as the College authorities live secluded from the world, and so are like children as to commercial matters, I would advise them to consult my Trustees as to the investment of the various funds, for they would receive great help and assistance from the advice of my Trustees in such matters.'

[1] The allusion is to the new assessment by the civic authorities of the build-

Ad Regis nostri laudes libentissime me confero.

Adspice venturo laetantur ut omnia saeclo![1]

Sublata belli nube et obmutescente tandem armorum strepitu ad pacis munera et ad administrandi artes revocamur. Iam iam praecipere videor exsultantium clamores et novam triumphi speciem; non utique vinctos ad currum duces, non captivorum multitudinem, sed verecundam potius sanctamque pompam ad antiqui fani ostia devectam. Adspicere videor ipsam Pacem candidis vestibus ornatam solio adsistentem et regio capiti diadema imponentem ipsam, non sine felici vaticinio, et his fere verbis Imperii fortunas praesagientem:

'Domine, in virtute Tua laetabitur rex, et super salutare Tuum exsultabit vehementer.... Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.... Quoniam rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.'[2]

ings of the University and the Colleges. This attempted act of spoliation was unsuccessful. The case was fought out before Mr. Alfred Lyttelton, the Recorder, at the Quarter Sessions; and the University won all along the line. But the increase of the rates to meet the expenses of the unsuccessful suit, and the necessary payments by the University and the Colleges in preparing their case, have left a sense of soreness on both sides.

[1] Verg. *Ecl.* iv. 52.

[2] Psalm xx. *Ed. Vulg.* As the Public Orator descended from the Rostra after delivering his speech, he was met by an official bearing the startling intelligence that 'the King was thought to be dying, and the Coronation was postponed'.

ORATIO IN THEATRO SHELDONIANO HABITA TRECENTESIMVM ANNVM A BIBLIOTHECA BODLEIANA CONDITA CELEBRANTIBVS ACADEMICIS DIE IX[NO] MENS. OCT. MCMII

SCIRE vos velim, insignes Viri, nobis Oxoniensibus pergratum esse hospitio vos hodie excipere, et studiorum communitate vobiscum gaudere. Ea autem occasio quae tam praeclaram frequentiam huc attraxit neque vulgaris est neque trita; immo vero ut Vniversitate nostra dignissimam esse censeo, ita vobis iucundam fore spero, qui operae pretium esse putaveritis hanc Musarum sedem adire et commemorationi festae interesse.

Hodie ferias trisaeculares celebrare in animo est, et Thomae Bodleii memoriam repetere, quippe trecentesimus annus iam nunc agitur ex quo vir munificentissimus Bibliothecam suam auspiciis laetis inauguravit. Neque tamen adeo sumus insulsi ut hos CCC annos quidquam aliud esse aestimemus quam punctum temporis minimum; aut ut venerabilem Bibliothecae Bodleianae antiquitatem iactantius venditemus; quasi huiusce solum esset aetatis libros vel tabularia condere et saeculi futuri utilitatibus hoc modo inservire. Itaque ne nimis gloriemur, praestat non utique CCC annorum seriem numerare, sed potius ad illam vetustatem ascendere quae ab aetate nostra paene sex mille annorum spatio est divisa. Stupore quodam obruimur dum animo repraesentare conamur publicas illas bibliothecas quas reges antiqui vel in regione Accadica vel apud Nineven urbem fundaverint, ubi condita sint tot tantaque historiae scientiae religionis monumenta, nunc lateribus coctis nunc coriis incisa. Quid quod inter sescenta illa miracula quae apud Cretam insulam sunt detecta, effossis nuperrime veteris palatii ruinis, credibile est patefactas esse bibliothecae

reliquias; ubi rudes notae tabulis fictilibus inscriptae ignoti sermonis ambages ostendunt? Quae quidem ut a Musei Ashmoleani custode nostro sunt apertae, ita ab eodem spero fore ut mox explicentur. Quod si Aegypti annales scrutamur, hinc habetis principis Osymandiae thesaurum, quem ψυχῆς ἰατρεῖον merito nominavit, hinc Ptolemaeorum studium qui in hoc negotio cum regibus Pergamenis ultro decertaverint. Neque librorum incuriosus erat Augustus Imperator, cuius rei testis est Apollo Palatinus; neque Traianus Romae, neque Byzantii Constantinus in hac humanitatis parte deficiebat.

Incredibile vero damnum quis aestimabit, cum propter barbarorum incursiones et atrocem bellorum seriem cuncta fere monumenta aut diruta essent aut ignibus absumpta, ita ut doctrinae quidquid superesset in monachorum secessus ablatum umbratilem quasi vitam suscipere cogeretur, ne omnino perirent reliquiae? Quam quidem salutis viam constat nostrates tunc temporis praesertim muniisse. Renascente autem doctrinae cultu optime de posteris meriti sunt Italici nobiles gratia et divitiis admodum pollentes: inter quos Laurentius ille Mediceus primas partes sustinet. Est autem confitendum illo tempore patriam nostram adeo non ad humanitatem aut ad litterarum studium quidquam contulisse, ut neque principibus neque privatis cura esset aut conquirendi libros aut conservandi.

Ad Bodleii laudes libentius accedo, Bibliothecae nostrae fundatoris: quanquam, si paullo accuratius dixerim, restituendi potius quam fundandi gloriam sibi vindicat; quippe nullo modo est obliviscendum quantum debeat haec Academia (ut ceteros sileam) Humfredo Glocestriae bono Duci, inter amplissimos Vniversitatis benefactores in perpetuum commemorato; ita ut ipsius Bibliothecae pars media (etiam si patroni dona diu deperierint) Humfredi nomen etiam nunc conservet. Pudet enim recordari 'irreparabile illud rei litterariae dispendium', et hominum ignarorum vel vecordiam vel malevolentiam, quae eo inhumanitatis est progressa ut neque libris tanto labore collectis neque ipsius Bibliothecae vel forulis vel etiam subselliis parceret. Sed quattuor fere annis post hanc infamiam Vniversitati inustam, Collegii Sanctae Mariae Magdalenae ordinibus adscriptus

est Thomas Bodleius, iuvenis haud singulari, ut videbatur, ingenio praeditus, neque aequalibus suis admodum praecellens. Mox autem, in Societatem Mertonensium receptus, ostendere incepit quanto opere litterarum Graecarum et philosophiae esset peritus. Deinde legationibus honorificis et publicis muneribus functus Oxoniam suam matura iam aetate reverti statuit, et officio civili quantum posset satisfacere. Itaque multis peregrinationibus actis, 'Baculum,' inquit, 'meum ad fores Bibliothecae Oxoniensis defigam, quae vastationem tam calamitosam est perpessa.' Quid plura? His etenim verbis inclusam habetis summi viri intentionem ac pietatem; cui nihil fere est quod addam, quippe taedium adferret si cunctos optimi Bodleii labores fusius exponerem: praecipue cum, nisi fallor, in manibus vestris harum rerum teneatis discriptionem plenam, neque vos fugiat aut numerus librorum aut aetas. Neque, credo, ignota sunt virorum insignium nomina, Henrici Savile, Gulielmi Laud, Ioannis Selden, Ricardi Rawlinson, Francisci Douce, Frederici Hope, ceterorumque omnium qui Bibliothecam Bodleianam patrocinio et munificentia identidem adiuverint.

Pessimi autem esset exempli in nostris ipsorum negotiis adeo commorari ut debito officio aliquid deesse videremur: quoniam huius diei proprium est salutem praeclaris illis hospitibus dicere, quibus omnibus, si modo suppeteret tempus, viritim gratias agere vellem; haud ignarus quanto studio tum temporis impendium tum longi itineris fatigationem libenter toleraverint ut laetitiae nostrae hodie fiant participes. Primo quidem Vniversitatem Cantabrigiensem salvere iuberem, Academiae nostrae tam diu et amicitia et fortasse aemulatione honorifica obstrictam, quae hodierno die inter legatos illustres Procancellarium suum ad nostras sedes miserit. Nec minore observantia excipiendi sunt viri insignes qui a Londinio regni capite aliisque Angliae urbibus, ab Academia Dubliniensi, a Walliae, Scotiae coloniarumque nostrarum Vniversitatibus adsunt, quibus omnibus gratias referre iuvat. Longum autem esset, viri docti, si ea omnia de hospitibus nostris dicerem quae in animo sint; si antiquarum in Europa Vniversitatum laudibus iustis satisfacerem, si de vigore iuvenili dissererem

quem quasi nobis senioribus exemplum praestiterint Vniversitates Americanae. Pace autem vestra liceat mihi virum eruditum nominatim salutare, Professorem Croiset, qui hodie cum collegis tam illustribus adest, non tantum propter excellentem cultum atque humanitatem, sed etiam quia apud nos hodie Vniversitatis Parisinae vicem implet. Etenim si Scholarum nostrarum et administrationis Academicae memoriam repetamus antiquam, neminem fugiet quantum Parisiis debeat Oxonia, quot homines excultissimi doctrinam liberalissimam et philosophiae Aristotelicae rudimenta a Parisiis usque Oxoniam reportaverint: quos inter honoris causa Giraldum Cambrensem, Robertum Grosseteste, Rogerum Baconem numerare licet. Neque tamen totus de rebus Academicis debet esse sermo, ne forte finibus iusto angustioribus circumscribatur. Vniversa 'Litteratorum Res publica' terrarum orbem ita complectitur ut plurimos habeat cives in suapte quemque provincia eximios. Quo fit ut hospites nostri, undecunque gentium advenerint, opulentissimam humanitatis et doctrinae copiam quasi in publicum ferre et coram nobis exponere videantur. Adesse cerno viros honorabiles permultos, qui iuris sint peritissimi; qui scientiae physicae lucem attulerint novam; qui litteris, qui ingenuis artibus, qui libris et scribendis et edendis summa cum laude incubuerint; qui doctis praefuerint Societatibus; qui in rebus civilibus et in regni administratione feliciter sint versati. De tam praeclaro virorum consessu quid quaeso in hac qualicunque oratione dicendum est? Immo vero quid non dicendum? Equidem, si modo meae ipsius vires vel temporis spatium sinerent, non solum laudes unicuique debitas impertire vellem, sed etiam laetitiam nostram verbis idoneis declarare, quam ex hac amicorum honorifica frequentia simus experti. Etenim quo magis, viri illustres, auctoritatem amplitudinem gravitatem cultum humanitatem vobis inesse cernimus, tanto maioris est pretii voluntas vestra et benignitas quae vos adduxerit ut hodie nobiscum una gaudeatis.

Cum vero tam breve sit vobis commorandi tempus, id maxime est cavendum ne quid pro nostra parte desit quod vobis gratum esse possit et iucundum. Bonam autem spem habemus, viri docti, fore ut

vos neque loci amoenitatum neque amicitiae nostrae neque publici qualecunque sit hospitii citius fiatis immemores. Immo ut omnia uno quasi verbo comprehendam, Vergilianae illius Didonis votum, quo Aeneae comites amabiliter excipit, in honorem vestrum libenter adhiberem:

Iuppiter—hospitibus nam te dare iura loquuntur—
hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
esse velis, nostrosque huius meminisse minores.[1]

[1] Verg. *Aen.* i. 731.

ORATIO HABITA IN CONVOCATIONE APVD SEACOX HEATH IN HOSPITIO CANCELLARII, GEORGII VICE-COMITIS GOSCHEN DE HAWKHVRST, AD OFFICIVM ADMISSI, DIE XI^MO MENS. NOV. MCMIII

Insignissime et Honoratissime Cancellarie,

VNIVERSITAS Oxoniensis, quae Te officii insignibus iam nunc decoravit, salutem dicit plurimam ; quam quidem, ut mihi persuasum est, benigne et clementer accipies. Intellegis enim quanta spe, immo vero quanta fiducia, quam unanimo Academicorum consensu, Vniversitas nostra fortunas suas Tuis manibus commiserit, Teque ad Cancellarii munus libentissime evocaverit. Sed tamen hic dies quem summa laetitia in Tuum honorem celebramus non potest non communem denuo suscitare luctum, cuius Tu partem nobiscum capias necesse est. Etenim aureum nobis ramum non est quin vero dolore desideremus avulsum, etiam si gaudeamus alterum non deficere.

Quartus et tricesimus agitur annus ex quo vir summus Robertvs Marchio de Salisbvria, Aedis Christi alumnus, Collegii Omnium Animarum olim socius, Cancellarii munus suscepit. Is quidem nobili ortus familia, quae semper quasi more tradito cum patriae tum regiae domus utilitatibus inservierat, a vetere maiorum exemplo nequaquam degenerabat, qui iam tum adulescens curiae supremae senator factus rebus publicis summa diligentia operam navavit. Quis unquam in regiis conciliis auctoritatem graviorem, quis in variis legationibus, propter facundiam et agendi peritiam, maiorem praestitit gratiam ? Quis unquam aut pacis studiosior fuit, aut regni Britannici propugnator constantior ? Ingenii sane austerioris et ab omni adulatione atque lenocinio aversus fieri non poterat ut cunctis

placeret: illud tamen habet praeconii (quod perraro cuiquam contigit) quod etiam illi qui cum illo vivente saepius dissiderent, eundem mortuum tum ob integritatem morum tum ob vitae sanctitatem debita laude prosequerentur. Neque vero in rebus civilibus adeo est demersus quin, si quid otii sinerent negotia operosiora, humanitati litteris scientiae totum se daret. Quapropter Cancellarium omni ex parte insignem Vniversitas nostra iusto dolore deplorat.

Itaque cum tam diu talis viri praesidio ac patrocinio usa sit Academia, haud in procinctu fuit alterum reperire qui votis nostris prorsus responderet: quo fit ut eo magis nobis sit gratulandum quod Tu, vir honoratissime, pro benignitate Tua petitioni nostrae obsecutus, munus obieris haud ita leve quidem vel otiosum.

Quippe magnis in rerum vicissitudinibus versamur, nec quid sit futurum facile est dignoscere. Nihil hodie magis in controversiam venit, nihil acrius disceptatur, quam qua potissimum ratione iuventus nostra educanda sit et formanda. Ii autem qui novas res avidissime captant institutis antiquioribus nunc irridere nunc invidere gaudent: quo fit ut Vniversitas nostra haud leve periculum subeat, aliis obsoletam et effetam appellantibus, aliis vetera eius privilegia aegre ferentibus.

Bene ergo nobiscum actum esse puto quod eum Cancellarium nacti sumus, cuius experientia sagacitate gratia freti ea quae optima sint rite exsequamur: ita ut quidquid apud nos, propter insitam excellentiam, aetatem tulerit, id omne conservemus: quidquid autem novi vel publica utilitas vel studiorum propagatio postulet, id libenter (quatenus facultates sinant) excipiamus ac foveamus, ne forte Vniversitas Oxoniensis existimationi suae ulla ex parte desit. Quem ad finem (ut pro certo scio) Te, vir iustissime, fautorem habebimus et adiutorem. Pessimi sane esset exempli si nos, aut veterno demersi aut famae incuriosi, splendidam hereditatem neglegentius administrare, et ad utilitatem universam parum conferre videremur. Stultitia autem esset si vel aemulatione inconsulta vel infirma trepidatione commoti ea quae extra vires sunt temere captaremus et venerabilem Almae Matris imaginem in peius fingeremus.

Vt officio debito satisfaciat Academia duabus rebus opus esse credo; quarum altera est agendi libertas, altera autem ea copiarum amplificatio quae multiplici studiorum varietati et auctis in dies impensis respondeat.

Tuo praesidio, Vice-Comes optime, salutem nostram bono animo committimus. Scimus enim quanta polleas gratia, quae sit Tua probitas, prudentia, experientia multis in negotiis spectata diu et explorata. Scimus etiam quanto studio Almam Matrem Tuam semper observaveris, quae alumnum insignem ea qua par est admiratione et reverentia ultro prosequitur.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXII[DO] MENS. IVN. MCMIV

CVM saepius mecum recensui huius Convocationis rationem atque consuetudinem, et satis consideravi quid ab initio fuerit Encaeniorum consilium, non possum non confiteri etiam Orationem Creweianam, propter recentiores rerum externarum concitationes, a proprio proposito aliquantulum esse detortam. Occupaverat enim omnium animos mira et inusitata rerum series. Primo quidem in honorem Reginae dilectissimae bis habita est supplicatio publica; mox eandem demortuam deflebamus; deinde belli ancipitis casus erant deplorandi; et Regis nostri discrimen subito adflicti morbo formidandum. Quapropter vereor ne recentior Encaeniorum usus publicae patronorum benefactorumque commemorationi vix admodum satisfecerit. Itaque, ut ad propositum ultro redeamus neque ea neglegamus quae debitum huius Academiae officium postulat, apte nos commonet singularis ille concursus qui nuper apud nos fiebat, ut annum trecentesimum a Bibliotheca Bodleiana condita celebraret. Videbatur illo die Vniversitas Oxoniensis palam profiteri quantum optimorum hominum pietati atque munificentiae ipsa deberet, quanto opere per proavorum liberalitatem staret fortuna domus: nec quidquam tunc temporis enixius studebamus quam ut illos adiutores in memoriam reducere ac nominatim laudare conaremur, qui Almam Matrem suam ultro ditaverint atque ipsam Academiam dignum Musis domicilium effecerint.

Eadem sit hodie Oratoris cura ut iusta fiat eorum beneficiorum recordatio quibus tam diu sumus usi. Vtinam viri illustres non unius modo saeculi, quorum praeconia in ore semper esse debent, ex umbris exciti, vel potius e sedibus discretis piorum, Vniversitatem

suam denuo reviserent: utinam paulisper adessent ii omnes qui divitias in commune contulerint, qui Vniversitatem donationibus locupletaverint, adornaverint aedificiis, qui collegiis fundandis curam impenderint; qui pauperioribus discipulis stipendia doctioribus praemia proponere, qui doctrinae scholas vel professorum cathedras instruere, aliisque beneficiis Academiam cumulare studuerint.

Quanto gaudio illustrem Regum Reginarumque ordinem adspiceremus; quam grato animo primarios cum in Ecclesia tum in rebus civilibus viros; quanto studio milites praeclaros, aut optimos Musarum interpretes salutaremus, artium ingenuarum peritissimos. Liceret profecto cum Vergilio profiteri:

> Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi,
> quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
> quique pii vates et Phoebo digna locuti,
> inventas aut qui vitam excoluere per artes,
> quique sui memores alios fecere merendo.[1]

Horum omnium non modo palam celebrandae sunt virtutes, verum etiam tot tantaque munificentiae exempla posteris sunt commendanda, ne forte occluso beneficiorum fonte exarescat messis et inania relinquantur horrea.

Dubitandum autem est utrum prisci illi homines Vniversitatem suam, ut nunc est, possent adgnoscere. Fac ut intraverint Scholas—non veteres illas quidem, sed novas et spatiosiores. Quid, quaeso, illic offenderent? Gauderent sane vivere adhuc et vigere Aristotelem, primasque eum partes inter philosophos adhuc apud nos tenere. Sed pro Trivio et Quadrivio, pro septem scientiis, pro notis illis disputationibus, pro discipulis Latino sermone facunde colloquentibus, insolitam reperirent studiorum rationem et immanem examinationum molem. Obstipescerent sescentas praelectiones quae cotidie 'de omnibus rebus et quibusdam aliis' habentur; obstipescerent musea, bibliothecas, officinas, ceteraque magnis sumptibus exstructa aedificia, quae Scientia Physica cupiditate inexplebili efflagitat: mirarentur Vniversitatis ambulacra matronis, nutricibus, infantibus referta,

[1] Verg. *Aen.* vi. 660.

discipulas adulescentibus nostris commixtas, ludos scenicos, acroamata musica, plateas luminibus electricis collucentes, et cetera omnia quae huius loci diutinam tranquillitatem iam dudum abrumpunt. Mirarentur iuvenes non iam subfusca veste aut habitu Academico indutos sed tunicis versicoloribus et decurtatis braccis superbientes, nunc vehiculis meritoriis, nunc gemina rotarum compagine huc illuc raptos, nunc machinae fulmineae adhaerentes (qualem ipse Salmoneus aversaretur) saevam mephitim exhalanti et sufflamine non semper coercendae. Confitendum est hanc aetatem festinare lente iam diu dedidicisse. Nihilominus persuasum mihi habeo hos impetus, has concitationes (paene dixi hanc licentiam) desidia obsoleta ac veterno longe esse superiores. Tantum modo est cavendum ne praepropera festinatione bonos mores perdamus et instituta probata subvertendo plus detrimenti capiamus quam commodi.

Vellem equidem, nisi temporis spatio praecluderer, multa quae nuper de iuventutis institutione disceptata sint summatim percurrere. Quod cum fieri non possit, unum tantum leviter tangam, ne nova belli civilis causa quae nos Oxonienses invasit vate sacro careat. Acriter est decertatum an a Scholarum Magistris (ut apud nos dicuntur) litterarum Graecarum ac linguae modulus a nullo non adulescente sit exigendus. Sunt qui adseverent hoc demum omisso una corruere quidquid in hac Academia restat vel humanitatis vel doctrinae. Alii vero contendunt nihil ad cultum conferre sermonis Graeci frustula misella, quae 'male parta male dilabuntur', immo vero sibi persuasum habent eo modo temporis dispendium fieri iis praecipue discipulis qui vel mathematicae vel scientiae physicae studiis serio incumbunt. Quae res quoquo modo sit eventura haud equidem vereor ne apud nos Oxonienses vetus illa atque fructuosa litterarum Graecarum notitia hoc quantulocunque laxamento labefactetur.

Nunquam fere, ut mihi videtur, nobis contigit Encaenia celebrare quin unus et alter eorum quos singulari in honore habeat Academia nobis fuerit deflendus. Hodie caritatis ergo commemorare licet

GEORGIVM THORLEY,[1] Collegii Wadhamensis Custodem emeritum, haud ita pridem propter valetudinem infirmam ab officio se suo abdicantem: neque libens virum insignem nuperrime nobis ademptum silentio praeterirem, FREDERICVM YORK POWELL,[2] et aetate et animi robore florentem, ingenii praestantia, humanitatis abundantia, veritatis studio, si quis alius, imbutum; amicis acceptissimum, omnium iudicio ornatissimum.

Ceteras autem lamentationes praestringit desiderium illud quo patronum honoratissimum prosequimur, ROBERTVM MARCHIONEM DE SALISBVRIA[3]; qui annos plus quam xxx Cancellarii nostri officio functus gratiam observantiam omnium in se traxit. At, puto, supervacaneum est summi Cancellarii laudes denuo pronuntiare quae coram vobis totiens recitatae in animis omnium reverenter sunt repositae. Veniam mihi concedatis, Academici, si nihil aliud hoc tempore fecerim quam Titi Livii verba adhibere, quibus M. Porcii Catonis eloquentiam et facultates extollit. 'In hoc viro,' inquit, 'tanta vis animi ingeniique fuit ut quocunque loco natus esset fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit. . . . Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit ut natum ad id unum diceres quodcunque ageret. . . Idem contemptor gratiae et divitiarum, invicti erat a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae.' Cancellario, senatori, civi incorruptissimo Have atque Vale dicimus.

Neque tamen tanti viri interitus nullum omnino solacium admittit, neque omni ex parte orbi esse et destituti videmur, cum Tu, Vir honoratissime, in Vniversitatem Tuam idem patrocinium et praesidium exercere dignatus sis quo tam diu frui consuevimus. Singulari te fiducia Vniversitas Oxoniensis Cancellarium[4] suum excipit, iam dudum multis in rebus spectatum et probatum.

[1] Warden of Wadham from 1881.

[2] Regius Professor of Modern History from 1894.

[3] Marquis of Salisbury, Christ Church, Fellow of All Souls, Chancellor of the University, 1869.

[4] Viscount Goschen.

Novimus enim qualem Te in curia, qualem in legationibus aliisque in rebus maximi momenti praestiteris, quanta sagacitate administraveris aerarium, classem ordinaveris. Neque tamen tanta Te negotia ab humanitatis artiumque ingenuarum studiis subtraxerunt: immo vero quantum Tibi otii res publica concesserit id omne Musis Te amicum et litteris exercitatum fecit. Nec quisquam, ut mihi persuasum habeo, reperiendus qui huius Academiae utilitatibus melius inservire et veterem eius famam efficacius possit sustentare. Summa igitur reverentia atque admiratione Te Cancellarium salutamus, eo magis gaudentes quod tam illustris virorum insignium concursus Tecum hodie advenerit, qui, Tui honoris spectatores facti et participes, ordinibus nostris ipsi adscribantur.

ORATIO IN DOMO CONVOCATIONIS A PROCANCELLARIO HABITA DIE IX^NO MENS. OCTOBR. MCMV

HOC die, Academici, cum ceteris quidem ad autumnum seriorem vergit annus, nova nobis rerum series aperitur, ita ut potius ad carceres denuo stare videamur quam ad metam appropinquare. Iuvat igitur ea quae per hos menses acta fuerint summatim percurrere, ac brevi oratione quae cum maxime memoratu sint digna recensere. Et primo quidem admonet pietas amicorum mentionem facere qui nobis intra annum fato sunt abrepti. Recentissimo dolore obruimur propter mortem necopinatam viri desideratissimi DAVID BINNING MONRO, qui Orielensibus suis annos plus quam xx praepositus pari felicitate tum Collegii tum ipsius Vniversitatis utilitatibus ultro inserviebat. Olim Collegii de Balliolo Scholaris eam litterarum atque linguarum facultatem iam tum iuvenis praestare incepit quam postea consummavit. Sermonis Homerici interpres unicus, modorum quoque musicorum apud antiquos investigator diligentissimus in litteratorum re publica summam laudem est consecutus, ita tamen ut inter tot studia nemo melius aut negotia tractare aut omni humanitate abundare videretur. Auget etiam luctum quod vix depositis Procancellarii insignibus et officio feliciter expleto praereptus est.

Nec minore desiderio est deflendus vir egregius, et ipse Procancellarii munere nuperrime functus, THOMAS FOWLER, Collegii Corporis Christi Praesidens illustris, mei ipsius Collegii per annos tres et viginti Tutor et Subrector. Amicum, sodalem, commilitonem meum, de Vniversitate optime meritum, in negotiis adsiduum, in litteris humanioribus feliciter versatum, discipulis et familiaribus acceptissimum, summa caritate ac veneratione prosequor. Eodem fere tempore morte subitanea interemptus est ALBERTVS WATSON, Collegii Aenei Nasi Socius, olim Principalis, ob mitem sapientiam,

benignitatem, verecundiam ab omnibus comprobatus et dilectus. Neque dissimilem exitum habuit HENRICVS LVDOVICVS THOMPSON, Aedis Christi quondam Censor, Ecclesiae Beatae Mariae Virginis Vicarius, quo neminem sagaciorem, neminem amore et reverentia digniorem novimus. His accedit vir eruditus, humanus, comis, EDVINVS HAMILTON GIFFORD, qui in Nestoreos prope annos provectus usque ad supremum diem doctissimis lucubrationibus iuvenili quodam robore incumbebat quod maturitatem potius argueret quam senectutem. Pari fere aetate, sedulitate pari, nuper discessit MONTACVTVS BURROWS, Historiae Modernae Professor Chicheleianus, in disciplina navali haud minus quam in litteris versatus. Et cum in eorum mentionem inciderim qui studia ac labores in extremam aetatem extenderint, liceat mihi memoriam repetere ornatissimi Theologiae Professoris in Vniversitate Dunelmensi, ADAM STOREY FARRAR, Collegii Reginae olim Socii.

Quod si paulisper ab hac Academia ad maiores huius regni Scholas respicimus, illic quoque aliquid mutatum esse reperimus. Viros optimos, EDMONDVM WARRE ET FREDERICVM WALKER valere iubent Etonenses et Paulini; quorum uterque post militiam praeclarissimam ab imperio se abdicavit. Scholae Cliftoniensis administrationem ALBERTVS DAVID, Collegii Reginae Socius, optima cum spe suscepit.

Alter agitur annus ex quo primum sedibus nostris successerunt hospites novi quos a coloniis Britannicis aliisque orbis terrarum regionibus CAECILII RHODES munificentia in hanc Vniversitatem convocavit, scilicet ut nobiscum consuetudinem ac familiaritatem communi studiorum usu iungerent. Experimentum tam felici augurio inceptum sedulo fovemus, nec dubitandum est quin multae ac publicae utilitates ex hac societate sint exspectandae.

Novum porro discipulorum genus nobis commiserunt Imperii Indici senatores. Hos autem alumnos non utique litteras, non linguarum vel philosophiae subtilitates edocere iubemur, sed arborum potius herbarumque cultum atque silvarum procurationem, earumque rerum scientiam quae ad serendum et collucandum spectant. Credo

equidem haud difficilem fore huius modi disciplinam, in hac saltem Vniversitate quae non modo camporum planitiem et colles nudos iactet sed nemorum quoque silvarumque amoenitates.

Saepe numero conquesti sumus falsam de nostra Vniversitate divulgatam esse opinionem tanta nos opulentia frui ut nullis neque beneficiis neque donationibus indigeamus. Quae quidem opinio quam sit falsa ii cum maxime intellegunt qui Academiae rationes optime noverint. Quapropter tanto magis gaudemus quod a viro munificentissimo, Alvredo Beit, mox constituendus est Professor qui coloniarum nostrarum historiam et vasti illius imperii fortunas quod in regionibus externis condiderunt maiores iuventuti nostrae exponat. Amicorum quoque opportuna liberalitate pecuniae collatae sunt cum in stipendium Professoris Pathologiae, tum etiam in usum Bibliothecae Bodleianae. Camera quoque Radcliffiana novo lychnorum apparatu instructa est, et in Vniversitatis Museo opus sculptile longas post moras denuo inceptum. Gratissimo quoquo animo licet renuntiem Societatem Venerabilem Aurificum munificentia singulari v millia librarum Preli Clarendoniani Delegatis dono dedisse, partem aliquam sumptus infiniti quem in vastum illud Onomasticon sermonis Anglici impenderunt. Vnicum illud opus, cui 'non viget quidquam simile aut secundum', non utique 'librum' appellare ausim vel 'verborum thesaurum', sed potius monumentum aere perennius et, ut vereor, auro pretiosius. Quo magis dignissimum benevolentiae exemplum Maecenatibus nostris impensissime commendo.

Vehementer gaudeo quod Corporis Christi Societas Collegii sui regimen commisit spectato et strenuo viro, Thomae Case, iunioribus pariter atque senioribus acceptissimo, Philosophiae Moralis et Metaphysicae Professori: nec minus est gratum quod paucis his diebus Collegio Orielensi est praepositus Carolvs Lancelottvs Shadwell, vir ornatissimus, in omnibus humanitatis studiis, in iurisprudentia, in rebus civilibus aeque versatus. Optima quoque voluntate salutamus Medicinae Professorem Regium, Wilhelmvm Osler, quem ad hanc Vniversitatem transmisit colonia Canadensis,

virum amplissimis honoribus et ornamentis merito insignitum, in vetere haud minus quam in novo, ut dicitur, orbe propter scientiam et artem medicam diu comprobatum.

Pacem hodie Academia, sicut ceterae nationes, fraternam agit: nec quidquam, quoad scio, tranquillitati usitatae perturbationes minitatur. Quotus enim quisque potest recordari quo studio, quo furore nuper disceptatum sit num a nullo non adulescente Graeci sermonis modulus esset exigendus? Lis ea, apud nos paucis, apud Cantabrigienses plurimis suffragantium vocibus diiudicata, paulisper conquievit. Nemo tamen potest dubitare quin serius ocius cineri suppositus ignis denuo sit erupturus.

Restat modo ut pro me ipso gratias agam maximas deputatis meis, collegis, ac praesertim utriusque anni procuratoribus, qui me consilio et auxilio nunquam non adiuverunt.

ORATIO IN DOMO CONVOCATIONIS A PROCANCELLARIO HABITA DIE IX^NO MENS. OCT. A. S. MCMVI

AVDIVI nuper, Academici, hominem insulsum temere adseverantem, cum tanta sit in hac Vniversitate rerum copia quae unius anni spatio apud nos eveniunt, debuisse Procancellarium uno quoque termino exacto Vniversitatis negotia oratione composita recensere, neque extremum anni finem opperiri, cum multa memoratu digna iam dudum ex animo exciderint. Quae opinio quam sit absurda nemo fere non potest intellegere. Illud enim potius est cavendum ne saepius de rebus iisdem eosdem sermones audiatis. Habetis verno tempore Procuratoris alloquium; habetis Encaeniis vel Poëseos Professorem vel Oratorem Publicum elegantissime contionantem de Academiae statu. Quapropter indulgentiam vestram impetrare velim ne forte his condicionibus cramben repetitam vobis apponere videar.

Ad seriora confestim nos vocat usitata huius orationis consuetudo, quae semper exordium sumere iubet ab iis amicis qui intra annum morte nobis fuerint abrepti. Quod si paulo rarius quam solet vestem mutare sumus coacti, id fortunae felici acceptum referre iuvat. Sed tamen hoc solacio parum imminuitur dolor, cum ii quos hodie lugemus summo sint honore digni; doctrina, ingenio, industria praestantissimi.

In primis mihi est nominandus vir illustrissimus IOANNES BURDON SANDERSON, per annos decem Medicinae Professor Regius apud nos Oxonienses. Etiam nunc habetis quasi in conspectu formam viri et speciem et staturam, oculorum supercilii gravitatem. Quanta fuit in ore austeritas, quanta suavitas, nunc cogitationum intentionem testata, nunc remissionem! Nec corporis dignitati impar erat animi altitudo. Aliis relinquam declarare quantum lumen physiologiae studiis adferre, quantum ardorem et reverentiam discipulis posset in-

stillare. Satis mihi erit dicere eius praesertim ope Scholam nostram Medicinae, quae diu iacuerat, revixisse et nomen honorabile sibi peperisse.

Integra adhuc aetate morte repentina exstinctus est WALTERVS RAPHAEL WELDON, Anatomiae Professor Linacerius, vir inter amicos si quis alius comis, adfabilis, humanus; in lucubrationibus et laboribus indefessus, unde illud praecipue agere studebat ut rerum animantiumque varietates enumerando et componendo ad legem ac normam paene mathematicam cuncta posset redigere. Crediderim illum ante oculos habere Lucretianam illam cohortationem

alid ex alio clarescet, nec tibi caeca
nox iter eripiet quin ultima naturai
pervideas: ita res accendent lumina rebus.[1]

Huic accedit ABEL GREENIDGE, a Collegio di. Io. Baptistae nuper in societatem receptus. De quo quid dicam verius quam tritam illam sententiam adfirmantem 'consummatum eum in brevi multa explevisse tempora'? Antiquitatis et philosophiae studiis deditus omnium iudicio primas partes sustinebat. Iuris Romani interpres gravissimus, Historiae Romanae conscribendae ita toto opere incumbebat ut nullo modo laboribus supersedere sciret.

Haud minore luctu deflendus est vir insignissimus ALVREDVS BEIT, qui non modo non huius Academiae alumnus sed ne nostro quidem sanguine ortus, adeo patriam nostram suam ipsius fecit ut nihil vellet omittere quod Imperii Britannici fines ac potestatem propagare posset et stabilire. Nos vero Oxonienses praecipuas illi gratias agimus, quod, qua erat munificentia, Professorem et Praelectorem in hac Vniversitate creaverit, quorum ope iuventuti nostrae notior fieret Coloniarum Britannicarum historia. Auget etiam dolorem quod auctor huius instituti vixdum ordinatis rebus praematura morte ipse obierit.

Iam tandem liceat carissimi et cultissimi viri mentionem facere, THOMAE GROSE, Collegii Reginae diu Socii et Tutoris, Vniversitatis

[1] Lucret. i. 115.

nostrae per annos IX Registrarii. Quis unquam vel amicorum vel discipulorum fuit observantior; quis Academiae studiosior; quis in rebus gerendis diligentior? Nobis autem qui cotidie in eius familiaritate versabamur luctuosissimum erat valetudinem infirmam, virium defectionem observare, quae supremum diem nimis certo praesagiebant. Amici obitum, quamvis turbato temporum ordine, in hunc locum consulto reservavi, quoniam munere vacante non poterat non in quaestionem venire quid et quale futurum esset Registrarii officium. Re diu perpensa atque disceptata, rogatio in domo Congregationis plus quam semel est promulgata, emendata, renuntiata; quae tamen sperandum est fore ut brevi sanciatur. Mihi quidem operae esse pretium videtur uno quasi conspectu comprehendere quo auctu Vniversitatis negotia increverint, quot quantique labores nuper fuerint suscepti, ne qua ex parte in iuventute nostra instituenda deficere videremur. Cum vero haec omnia vel summatim perstringere taedium adferret, liceat mihi (ut ex pede Herculem agnoscatis) Statuta Vniversitatis quae XXX abhinc annis sunt edita cum iis quae nunc sunt comparare. Invenietis, Academici, prius illud volumen paginas nonnisi tercentum nonaginta duo continere; posterius autem sescentas quinquaginta unam. Quod si memineritis adeo identidem emendata esse vetera Statuta, ut excisa sint multa quae diu obsoleverant, constabit plus quam duplicatum esse praescriptorum corpus, multiplicatas difficultates. Equidem saepius cum legum Academicarum codicem interpretari studui, in luto volutari sum visus, et Davum me esse non Oedipum adgnovi. Porro, quotiens in angustiis versatur Academia, seu quia in ipsis Statutis latet ambiguitas, seu quia novi aliquid apparuerit non omnino provisum, ad decreta confestim est confugiendum, quorum ea quae hodie valent paginas in codice octoginta complent. Haec omnia Registrario bene nota esse debent, ita ut sciscitantibus responsum dare possit. His accedunt Vniversitatum externarum negotia, epistolae sescentae legendae et conscribendae: accedunt etiam concilia, contiones, colloquia, delegatorum congressiones, quibus plerumque Registrarius interesse iubetur. Haec omnia dum mecum reputo Herculeos labores pro nihilo habere ausim.

De examinationibus pauca fortasse sunt dicenda. Confitendum est iis adulescentibus qui nuper quaestionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma respondere studuerunt res non omnino bene successisse. Plurimi enim, ut vulgo habetur, novae geometriae metu in certamen algebraicum abducti inhoneste perierunt. Ac profecto de tota Examinationum ratione complures exortae sunt controversiae. Quaeritur num ab eis qui in prima examinatione publica nullum honorem ambiunt, duo tantum 'libri' (ut dicuntur) sint exigendi. Hanc condicionem Congregatio nostra sibi non placere declaravit. Porro, sunt qui plerasque examinationes exacto demum termino fieri iubeant. Quae res utrum examinatoribus, discipulis, remigibus, parentibus sit placitura, adhuc in dubio est.

Increbruit nuper fama statuisse Typographei Clarendoniani Delegatos sedem mutare et officinas commodiores in Pomptinis illis paludibus quae occidentali Oxoniae parti adiacent aedificare. Neque prorsus inutilis esse videbatur ista migratio si modo vellent Professores e Museo supellectilem scientificam in situm derelictum transferre, neque ut nunc sancrosanctis Parci finibus appetenter inhiare. Res ad pactionem non venit.

Ecce novi aliquid e Bibliotheca Bodleiana! Exemplar vetustissimum Shakesperianorum dramatum in Bibliotheca quondam repositum ii qui tunc erant Curatores ut supervacaneum divendunt. Hunc librum in domicilio privato repertum Bibliothecarius reciperare cupit —non iam ut vilem rem et supervacaneam sed magno scilicet pretio parabilem. O spectaculum pulchrum et admirabile! Hinc habetis Bibliothecarium nostrum desiderio simul et inopia cruciatum; hinc Curatores magnam impensam improbantes; hinc autem Croesum aliquem tribus millibus librarum licitantem. Gratulor Bibliothecario qui sua ipsius perseverantia—ne dicam pervicacia—Maecenates efflagitando pecuniam collegerit, redemerit captivum.

Contigit quoque res prorsus inusitata cum in Termino Paschatis placuit Vniversitati gradus honoris causa in principem eximium aliosque proceres ab Imperio Serico missos conferre. Iuvabat tueri graves virorum vultus, bullatos apices, capillos in caudam collectos,

vestes manicatas, croceas lacernas, ceteraque dignitatis insignia. Quid autem de hac Academia sentirent hospites in incerto est.

Ad finem propero. Prius tamen salutandi sunt Professores qui nuper apud nos provinciam acceperunt; CAROLVS OMAN, Professor Chicheleianus; IOANNES WILHELMVS MACKAIL, Professor Poëseos; GILBERTVS BOURNE, Anatomiae Professor Linacerius; HVGO EGERTON, Professor in Coloniarum historia; WILHELMVS SOMERVILLE, Professor Sibthorpianus: quibus fausta omnia et felicia auguramur.

Restat ut (pace vestra) pauca tantum de me ipso adiciam. Biennio iam exacto satius mihi videbatur officio me abdicare; non quia taedio me adfecerunt sescenta illa negotia in quibus Procancellarius non potest non versari. Immo verebar ne forte annis iam gravior Academiae utilitatibus deessem. Quod si non prorsus (ut spero) defecerim, id omne collegarum amicorum ministrorum auxilio atque indulgentiae acceptum refero, qui mihi quidem nunquam non inter se certare videbantur quo potissimum modo labores meos levarent et quasi viam munirent. His omnibus gratias ago quam maximas. Gratulor Vniversitati quod onera quae nunc depono umeris robustioribus sunt ferenda. Virum optimum, qui post me munus suscipiet, amicum sodalem commilitonem diu sum expertus; quo gubernacula tenente nullum habeo metum ne quid detrimenti res publica capiat.

ORATIO GRATVLATORIA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA, GEORGIO NATHANIEL CURZON DE KEDLESTON AD OFFICIVM CANCELLARII ADMISSO, DIE XImo MENS. MAII MCMVII

Illvstrissime et Honoratissime Cancellarie,

VARTVS nunc agitur annus ex quo auspiciis laetis ac bona spe viro insigni et venerando Georgio Vice-Comiti Goschen Vniversitas Oxoniensis Cancellarii munus detulit, quo nemo potuit inveniri Almae Matris studiosior, nemo pietate sagacitate experientia ornatior, qui etiam si iam tunc ad senectutem vergeret tantas habuit animi vires, tantum ingenii robur, tantam in negotiis alacritatem, ut nobis quidem necopinantibus summi viri interitus obtingeret.

Venit in mentem illius diei recordatio, cum in ipso patroni domicilio, inter hortorum silvarumque amoenitates, ab Vniversitate habita est iusta et sollemnis Convocatio, et Cancellario tradita sunt officii insignia. Iam nunc audire videor tum gratulationes laetas tum benignam viri orationem firmam pollicentis fidem. Quo fit ut acriore quodam modo luctu adficiamur quod nuperrime in eodem loco maestis Amici exsequiis interesse iussi sumus. Heu nimis breve temporis intervallum! quod tamen ne Te quidem, vir dignissime, domestici doloris expertem reliquit.

Velim equidem aliquid Tibi solacii inde proveniat quod ab Oxoniensibus Tuis ad munus honorificum et ad negotia fortasse operosa evocatus fueris.

Iuvat hodie veterem illam necessitudinem atque amicitiam redintegrare quae Tuae Te Vniversitati iam dudum coniunxit: iuvat rursus in gremium recipere eximium Collegii de Balliolo alumnum, honori-

bus ornatum, praemiis Academicis bis donatum: iuvat decem annorum memoriam repetere qui Te Collegii Omnium Animarum Socium videbant. Te vero in remotas Asiae regiones etiam adulescentem rapuit vehemens peregrinandi studium, scilicet ut terrarum arcana atque multorum hominum mores expertus, ac deinde in externis Imperii rebus ab illustrissimo Marchione de Salisburia eruditus, ad ea munera obeunda paratior fieres unde tantam reportasti laudem. Quapropter post haec tirocinia atque has exercitationes haud mirum est quod cum vix octavum lustrum clauseras ad Imperii Indici administrationem regia vice fueris promotus. Quae vero ibi gessisti ne summatim quidem licet mihi perstringere. Mitto igitur tot tantaque beneficia in vastam illam provinciam collata; mitto famem et inopiam populi repressam, cohibita pestilentiae contagia, procuratam agrorum culturam, educationis et institutionis rationem emendatam, et, quod maximi est momenti, Imperii fines munitos et terminatos.

Iam tandem in patriam reversus dissimilem ac tenuiorem provinciam sortitus es quae tamen curam sollicitam postulat; quoniam permulta sunt quae Vniversitati periculum minitantur. Profiteri certe licet meliora nos et videre et probare, sed tamen apud quosdam saepius in suspicionem venimus deteriora ultro sequendi. Sunt qui arbitrentur Vniversitatem divitiis abuti, luxum fovere, traditos mores rationemque disciplinae antiquam obstinatius adservare, praemia locupletioribus tribuere egenis denegare. Non equidem harum rerum excusationem mihi esse suscipiendam censeo, cum pro certo sciam nobis esse propositum imperfecta supplere, refingere obsoleta, ut neque nobismet ipsis neque rei publicae deficere videamur. Credo Academiam adeo non detrectationi obnoxiam esse debere, ut potius ab amicis et fautoribus opem auxiliumque non iniuria efflagitet. Pervulgata est opinio falsa copiis satis superque abundare Academiam: illi vero qui rationum Academicarum sunt peritissimi plane intellegunt quibus angustiis premamur.

Vt alia praetermittam, quid quaeso de Bibliotheca Bodleiana est dicendum? quid de Professorum cathedris? quid de scientiae natu-

ralis studiis novis, cum sescentis aliis rebus quae impensam postulant? Constat igitur eum qui apud nos Cancellariatus officium suscipit hereditatem adire, luculentam sane neque tamen sine magno labore administrandam.

Tibi vero, vir honoratissime, fortunas nostras summa fiducia committimus, et Tuo favore Tuoque auxilio freti ad maiora nos libentissime accingemus.

ORATIO CREWEIANA IN THEATRO SHELDONIANO HABITA DIE XXIV^{TO} MENS. IVN. MCMVIII

HAVD invitus, Academici, opus interruptum hodie resumo. Oratoris Publici officium, octo et viginti abhinc annis mihi commissum, exercere non poteram, cum ad servitutem illam honorificentissimam essem vocatus, quam carus mihi amicus et collega, Procancellarius [1] noster, tanta habilitate iam nunc sustinet. Felicem me esse censeo quod interim munus meum viro ornatissimo ALVREDO DENIS GODLEY [2] delegare possem, cui maximas ago gratias. Nec quidquam laetius repperi quam istis Encaeniis in sella curuli sedere, et rostra e longinquo contemplatus, alterius spectare laborem: quem tamen, dum vicarii mei facundiam admirabar, non tam laborem putavi quam promptam potius et expeditam facultatem.

Confitendum est nunquam nobis praeteriisse annum quin aliqua saltem doloris nota Academiae fuerit inusta, compluribus amicis aut morte abreptis aut a loco et officio digressis. Eorum qui propter infirmam valetudinem ab officio nuper se abdicaverunt desideramus THOMAM KELLY CHEYNE,[3] Sacrae Scripturae Interpretationis Professorem Orielensem, inter theologos eruditissimum et audentissimum, et CAROLVM HVBERTVM PARRY,[4] Baronettum, Musicae Professorem, ingenio et arte admirabilem, virium et sanguinis plenissimum. Primo tamen avulso ramo non deficit alter aureus, cum denuo

[1] Thomas Herbert Warren, M.A., Hon. D.C.L., President of Magdalen College.

[2] Alfred Denis Godley, M.A., Fellow of Magdalen College, acted as deputy while the Public Orator held the Vice-Chancellorship.

[3] Thomas Kelly Cheyne, D.Litt., D.D., Oriel Professor of the Interpretation of Holy Scripture, and Canon of Rochester.

[4] Sir C. H. H. Parry, Bart., C.V.O., Mus. Doc., D.C.L., Hon. Fellow of Exeter College, Professor of Music in the University of Oxford since 1899.

Academiae nostrae sit redditus WALTERVS PARRATT,[1] eques, Musicae Doctor, Collegii Sanctae Mariae Magdalenae Socius honoris causa; nobis Oxoniensibus intimo amicitiae vinculo adstrictus.

Inter eos qui obierunt lugere debemus spectatissimum virum et sanctissimum, IOANNEM RICARDVM KING, Collegii Orielensis Socium, Ecclesiae Sancti Petri in Oriente per XL fere annos Vicarium, et GEORGIVM UGLOW POPE, S. T. P., Collegii de Balliolo Capellanum, dialectorum orientalium praelectorem expertissimum. Fas etiam est lugere par nobile virorum, quorum utrumque Vniversitas nostra ordinibus suis honorifico Doctoris titulo adscribere gaudebat; alterum, HENRICVM CAMPBELL-BANNERMAN,[2] primas in re publica partes summa sagacitate, sedulitate, iustitia sustinentem; alterum, DEVONIAE DVCEM,[3] senatorem incorruptum, fide auctoritate virtute apud omnes valentem, Vniversitatis Cantabrigiensis Cancellarium ornatissimum. Nuperrime provecta aetate nobis discessit vir reverendus THOMAS VERE BAYNE,[4] Aedis Christi alumnus, olim Censor, Academicis suis ob mitem sapientiam, comitatem, constantiam acceptissimus.

Eodem fere tempore in Oxoniam suam reductus est, non iam amicis iterum consociandus, sed terrae, eheu! mandandus, WILHELMVS WEST JONES,[5] Archiepiscopus, et Africae meridionalis Metropolitanus. Neminem novi quem acriore desiderio amici, quem Collegium divi Io. Baptistae maiore prosequatur reverentia, ecclesiae defensorem strenuum, libertatis propugnatorem, propositi tenacem, in laboribus diuturnis indefessum, in controversiis aequi servantissimum, in amicitiis constantissimum. Huic numero novissime

[1] Sir Walter Parratt, Knt., M.V.O., Mus. Doc., Hon. Fellow of Magdalen College.

[2] The Right Hon. Sir Henry Campbell-Bannerman, G.C.B., Hon. D.C.L. 1907, Prime Minister and First Lord of the Treasury since 1905.

[3] The Duke of Devonshire received (as Marquis of Hartington) the honorary degree of D.C.L. in 1878.

[4] Thomas Vere Bayne, M.A., student of Christ Church; Keeper of the Archives of the University.

[5] The Most Rev. William West Jones, D.D., Archbishop of Cape Town, Metropolitan of South Africa; Hon. Fellow of St. John's College.

accessit IOANNES EVANS,[1] Ordinis Balnei eques commendator, Collegii Aenei Nasi Socius honoris causa. Quis nescit qua sagacitate priscorum mortalium armatum, instrumenta, supellectilem perscrutaretur, quo studio antiquorum thesaurum numorum conquireret, quem ad modum litterarum linguarumque scientia polleret? Quid multa? Adeo fama eius in omni antiquitatis indagatione percrebruit ut admirari desinamus quo pacto filius illustris ARTVRVS EVANS[2] paternas laudes summa pietate aemulaverit.

Vereor equidem, Academici, ne forte haec quae nunc aguntur Encaenia quodam modo languere vobis videantur, recordantibus quot eminentes viri ipsius Cancellarii nutu ordinibus nostris, honoris causa, adscriberentur. Eorum autem qui tunc temporis doctoratus insignibus sunt ornati, nemo prodibat acceptior quam tu, optime Procancellarie, qui quanta adsiduitate Academiae utilitatibus inservire studueris collegae tui nunquam non experti sunt.

Erant autem alia quae istos menses praecipue notabiles redderent: quoniam sub idem tempus maxima huc convolavit hominum frequentia novo et inusitato spectaculo inhiare cupientium. In pratis, quae ad sinistram Cherwelli ripam Aedes Christi prospicit, abiegna stabat compages, incendio et licentia iuniorum haud prorsus intemptata.[3] Gramineum a fronte theatrum, ubi oculis fidelibus subiciebantur imagines ex antiquis Oxoniae annalibus ab histrionibus sollerter effictae. In plateis interea inter hodiernum urbis strepitum cotidie cernere erat miram et confusam hominum multitudinem, nunc pedibus euntium, nunc raedis, nunc ferreis rotarum machinis, nunc equis insidentium. Hic, sublato temporis discrimine, variis splendentes vestimentis adspiceres reges, reginas, monachos, sacerdotes, matronas, ancillas, pedisequos, milites cataphractos, pueros,

[1] Sir John Evans, K.C.B., Hon. D.C.L. (1877), Hon. Fellow of B. N. C.; President of the Royal Numismatic Society, and of the Society of Antiquaries.

[2] Dr. Arthur John Evans, Fellow of B. N. C., Keeper of the Ashmolean Museum, Oxford, since 1884.

[3] The wooden Grand Stand for the 'Oxford Pageant' was set on fire by youthful marauders, and much damage done.

philosophos, pastores, agricolas, ad προγυμνάσματα festinantes: ita ut facile crederes aut campos Elysios aut ipsum Acheronta viva defunctorum simulacra in Oxoniam catervatim evomuisse. Ac veluti in divino illo Aeneae clipeo

> res Italas Romanorumque triumphos,
> haud vatum ignarus venturique inscius aevi,
> fecerat Ignipotens,[1]

ita in hoc spectaculo in claram lucem revocabantur, ut nusquam melius, Vniversitatis et urbis nostrae amplitudo et praestantia.

Nihil profecto in praesenti tempore obvenit quo minus Minerva nostra paciferae ramo olivae gaudeat.[2] Immo, mihi quidem videtur, si quis hospes inter silvas Academi discipulorum discipularumque frequentiam hodie spectaret, iisdem fere studiis incumbentium, eosdem fere petentium honores, vix posset recordari quo fervore aliquando disceptaretur num patefieri deberent mulieribus gradus Academici. Rogatione illa tunc temporis antiquata, belli rumor subsidit: etsi nemo mehercule sciat num lateant ignes cineri doloso suppositi. Interea contentio non prorsus dissimilis, ab angustis Academiae finibus ablegata, ampliorem sortita est provinciam, quae non solum Academiam, verum etiam totam complectatur rem publicam. Inspiciatis, quaeso, Academici, libellum quem hodie in manibus habetis, ubi earum exercitationum argumenta exponuntur quae Cancellarii praemio sunt donatae. Quaestionem[3] Latine tractandam cernitis 'permittendumne sit mulieribus ius suffragii?' De hac re quod sentiam dicere reformido, praesertim in his Encaeniis ubi numero pauciores sunt viri. Dum vero de his rebus mecum cogito, statim femineo ululatu obtundi videntur aures: iam nunc in aciem prodeunt Ecclesiazusae, 'danda mulieribus suffragia' vociferantes;

[1] Verg. *Aen.* viii. 626.

[2] Contrast of the quiet of Oxford, no longer troubled by the conflict over Women's Degrees, with the action of 'militant suffragettes' elsewhere.

[3] The subject set for the Chancellor's Latin Essay was the discussion of the question whether 'Votes for Women' should be granted.

inscripta lintea iactantes; senatorum ostia ad galli cantum pulsantes; in plaustris latitantes; subsellia, contiones clamoribus intempestivis interpellantes; tintinnabula agitantes; in iudicium adductae, in custodiam datae, vadimonio liberatae, aut vadem aspernatae. Fuerit sane causa iustissima: non tali tamen auxilio eget nec defensoribus istis.

Propria vero Encaeniorum est consuetudo Fundatorum ac Benefactorum iustam facere commemorationem. Debitae ergo pietati, quoad potui, satisfacere nunquam aut desii aut desinere velim; quoniam nobis Academicis contigit hereditatem potius adipisci quam bona nobismet ipsis colligere. Quapropter duplex nobis est officium, primum quidem ut tot tantaque beneficia gratissimo semper animo adgnoscamus; deinde ut ea omnia quae percepimus summa custodiamus cura, et in utilitatem communem prudentissime conferamus. Saepius autem in hoc loco questus fui antiquas beneficentiae fontes aut prorsus esse exsiccatos aut nonnisi guttatim stillare. Magis idcirco laetor quod denuo redundare inceperint salutares aquae quae 'scatebris arentia temperent arva', unde largior seges sit exspectanda. Tibi, optime Cancellarie,[1] maximae grates sunt agendae, qui tanto studio Vniversitatis nostrae necessitates locupletioribus commendaveris, nunc Maecenates vel patrios vel externos efflagitando, nunc Collegiorum alumnos monendo ne suis ipsorum utilitatibus intenti Almae Matris commoda parum curent. Iuvat hodie recentia liberalitatis indicia commemorare, unde vel constitutae sunt vel constituendae novae Professorum Praelectorumque cathedrae, nova discipulis praemia proposita, aliaeque collationes acceptissimae. Bonam igitur spem habeatis oportet fore ut in hac Academia nulla vel doctrinae vel scientiae pars omnino sit indotata.

Tempora mutantur: nos et mutamur in illis.

Huius modi vero mutationes non festinationem postulant aut properantiam, sed cautam et consideratam maturationem. Sunt enim

[1] The Chancellor was present in the Theatre; and the allusion is to his 'University Appeal'.

qui, velut pharmacopolae circumforanei sua remedia venditantes, Vniversitatis deformationem appetant potius quam emendationem. Nos autem, bene intellegentes non omni ex parte perfectam absolutamque esse administrationis nostrae rationem, ad meliorem rerum condicionem certius et prudentius eniti possumus quam ceteri. Ne tamen spem vanam alamus omnibus aeque placendi monet Aesopi fabula de patre atque filio asinum portantibus. Tantum vero licet polliceri, nosmet ipsos quidquid docuerit experientia, quidquid suaserit vel pietas vel Almae Matris amor, id omne pro virili parte esse adhibituros ut Vniversitatem nostram et maioribus dignam et posteris laudandam relinquamus.

INDEX OF NAMES AND SUBJECTS

OXFORD
PRINTED AT THE CLARENDON PRESS
BY HORACE HART, M.A.
PRINTER TO THE UNIVERSITY

